

*Canis uenetica nictit. Elephanti brariunt. Equi hinnunt uel grugulant. Gallinae cacinant uel gurguriunt. Calue fringilliunt. Craculi grinciunt. Herōndines trissistant uel trissant. Hyenae hirriunt. Hedi balant uel belant. Infantes uagiunt uel u///uahunt. Leones fremunt. Lince hircant. Lepores uagitant. Lupi hululant. Littera murmurant. Milui uigiunt uel uigilant uel lu***. Merulę einzilant. Mustelae drindrant. Mures mitriunt uel muniunt. Noc-tuae cucubiunt. Olores drensitant. Oues balant. Onagri uagillant. Palumbes runcitant. Passeres titiant uel parri///tinnipant (erasa n; ultimae nt evanuerunt). Pau paululant. Perdices cacabunt. Pulli pipinant (uel per-pinant s. scr. m 1). Panterae chanriunt. Pardi peliunt. Porcelli grun-niunt (Porci grundiunt adscripsit m. 1). Ranae coxaxant. Sturni parsit-ant. Surices deditant. Serpentes sibilant. Siluę strepunt. Turdi socitant uel facillant (infra add. m. 1: Tauri mugiunt). Vultures pianbant. Venti flant et tremunt. sibilant. Vrsi urgunt uel seuiant. Verres quintant. Vulpes eiulant. Homines loquntur. Rustici iubilant. † Tigrides bracant. Tubę clangunt (signum † indicat non suo loco haec esse posita). Haec genera uocum non ad uocum sonoritatem tantum pertinent quam discretionis grā prolata sunt. — Similia insunt in cod. Cantabrigiensi (univ. libr.) L I I 14 saec. XIV, item in cod. Matritensi bibl. nat. A 16, sed multis corruptelis inquinata, quas nolo repetere.*

Haec habui quae de vocibus animalium proferrem, quamquam totam hanc quaestionem exhaustire neque volui neque potui: sed quae a me adnotata essent ab hac praefatione prorsus excludi aut perire nolui.

CAPVT X. DE SCHOLIIS ET TRACTATIBVS GRAMMATICIS

§ 27. De fontibus glossariorum qui quaerere sibi proposuerint, ni-mirum scholia vetera, quippe ex quibus haud leuissimam materiae glossematicae partem fluxisse constet, non praeteribunt. Quis enim est qui nesciat — uno ut utar exemplo — quot glossae doctiores ex Servii commentariis provenerint cum genuinis (cf. *Acidalia*, *Aconita*, *Acta*, *Adamas*, *Aganippe*, *Aminea*, *Amomum*, *Amphion*, *Amsancti*, *Ancora*, *Annuo*, *Arbustum*, *Ardens*, *Atridae*, *Axis*) tum Danielis quae dicuntur (cf. *Agitator*, *Amera*, *Vannus*), quarum magnum numerum in Thesauro glossarum emendatarum indicavi? Quae per quos rivulos mearint antequam glossariis sint insertae quo saepius dubitabis, eo acceptiora nobis erunt opuscula quaedam ex vetustate propagata quae doceant, ta-lis transitus quomodo certe potuerit evenire. Qualia opuscula in tres classes describi possunt. Ac prima quidem scholia amplectitur quae forma non mutata sublata et in ordinem litterarum aliquem redacta sunt. Cuius classis luculentissimum specimen excerpta praebent ex

scholiis Bobiensibus Ciceronis tracta et a me tomi V p. 657—660 edita (de quibus nunc editionem Stanglii optimam II p. 281 sqq. post ea quae olim Nov. annal. t. 143 p. 429 sqq. exposui conferas). Quae glossae continuo ordine se excipientes si glossario nescio cui illatae essent, non potuerunt non disici ac disturbari. Alteri classi tribuo scholia contracta et ad glossarum similitudinem adducta, cuius exemplum produnt glossae Iuvenalianae publicatae olim ab Henrico Keil in Ind. Hal. a. 1876, repetitae a me tomi V p. 652 sqq., de quibus quae Ernestus Lommatzsch Quaest. Iuven. (a. 1895) p. 9 sqq. et W. Heraeus Woelfflini Arch. IX p. 594 sq. exposuerunt conferri iubeo. Quas glossas e scholiis factas esse ipsa forma testis est¹⁾; contractas esse easdem velut ex his disces vel similibus exemplis: VI 631 *Adipata dulcia*; cf. *dulcia, placenta veneno plena*; XIV 5 *fretillum fimo purgo*; cf. *fritillus pyxide cornea qui fimus dicitur graece . . . aut fritillum pyrgum dixit*; VI 604 *Salios nobiles*; cf. *de familia nobili nomen tenuerunt*; VI 400 *Paludatus clamidatus*; cf. *euntibus ad militiam, clamidatis scilicet*. Ex parte autem tantopere decurtata sunt scholia, ut genuina forma magis magisque exuta ad glossarum similitudinem quam proxime accederent. Tertiae classis glossae sunt quae scholiorum pristina forma omnino abiecta proprium glossematum habitum induerunt. Cuius classis exemplum in glossis Terentii relictum esse censeo, quas quinti voluminis p. 529 sqq. edidi; in quibus vestigia scholiorum quamquam rarissima sunt, tamen aliquoties apparent veluti haec: *aliorum aliter dicit* (531, 5); *accede ad ignem hunc: hoc est ad amorem tuum* (531, 6); *contumelia: quod pater inique fecit* (531, 41); *cetarii: salsamentarii a ceto* (532, 53); *facinus: nunc scelus, alias factum* (534, 28); *gestiam: nunc exultem, alias cupiam* (534, 46). Longe plurima tamen exempla a glossis iustis nullo modo discedunt. Quod genus non semper dignosci poterit ab interpretamentis olim intra versus librorum ad explicanda difficiliora vocabula positis, quae numquam scholiorum formam habuerunt: quales libri interpretamentis exornati permulti ad nos pervenerunt, nec dubito aperte profiteri ingentem molem glossarum huius esse prosapiae videri. Glossatores autem, si hoc vocabulo uti licet, aut ex vetustioribus sive scholiis sive interpretamentis pendent, aut ipsi de suo haec interpretamenta creaverunt: ex quibus interpretamentis una cum lemmatis exscriptis et ad litterarum ordinem digestis fundamenta glossariorum quorundam evaserunt, de quibus infra seorsum tractabitur.

Inter scholia nulla tam saepe in glossario generali occurrunt quam

1) De his scholiis exspectanda est disputatio Wessneri, quam alio quodam loco editum iri auctor ipse, cum haec pars iam typothetae tradita esset, mihi scripsit.

Vergiliana: quorum etsi haud pauca in thesauro glossarum enotavi, tota tamen materies non ante exhaustiri poterit quam indices commentariorum Vergilii meliores quam nunc exstant confecti et publicati erunt. Quod in recentioribus glossariis copia scholiorum Vergilianorum etiam maior est quam in vetustioribus, inde factum esse scito, quod ingens locorum multitudo ab Isidoro episcopo Hispalensi excerpta et in etymologias translata est: ex cuius rursus copiis recentiores dici nequit quot modis pendeant. De quibus scholiis ab Isidoro adhibitis docta nunc exstat Georgii Homeyer disputatio (de scholiis Vergilianis Isidori fontibus .1913), qui post Barwickii (Philol. 70 a. 1911), Philippi (die historisch-geograph. Quellen in den Etymol. des Isidorus v. S. a. 1912), Lammerti (de Hieronymo Donati discipulo. Com. Ien. IX 2) curas demonstravit Isidorum et Servii genuini scholia plurima exscripsisse et commentarium illum additiciū, qui Lammerto non diversus esse videtur a Donato, pleniorē tamen quam nunc est, id quod Donati in Terentium commentarii locis, item Hieronymi et scholiorum Lucani Statiique demonstrari potest. Quae omnia et multa alia cum neglexerit Schmekel in libro nuper edito (Die positive Philosophie II Isidorus von Sevilla, sein System und seine Quellen. Berlin 1914), huic certe quae est de fontibus quaestioni satis facere nullo modo potuit; nec me movit, ut meam quam dudum mihi informaveram de his rebus sententiam abicerem. Atque spero mox¹⁾ ab alio viro docto in Schmekelii rationes diligenter inquisitum iri. Praeter scholia Vergiliana adscita sunt in glossariis quamquam rarius commenta in Lucanum, Persium, Iuvenalem, item Statium, quorum locos aliquot in thesauro glossarum attuli, multo plures tamen indagari posse nunc scio. De glossis Iuvenalis conferenda sunt quae apud Friedlaenderum in ed. Iuven. praef. p. 106 sqq. composui, quibus haud pauca nunc addere possum. De scholiis Lucani apud Isidorum cf. Endt 'Isid. und die Lucanscholien' Wien. Stud. XXX p. 294 sqq., Philipp l. s. s. p. 59 sqq. — Etiam Ovidii scholia quaedam exstiterunt, quorum vestigia, ut unum afferam exemplum, codex Parisinus lat. 7530 saec. VIII servavit. Exstant ibi in fol. 302^a, 303^r, 303^a glossulae sic inscriptae: *INCIPIT GLOSE. Almus sc̄s sibe abolendo dictus. Arbitr iudex eo quod arbitrio suo causas dirimat* e. q. s., h. e. glossae eadem

1) Nec haec spes me fefellit; interim enim praeter doctam Wellmanni censuram de hoc libro scriptam (cf. 'Berl. philol. Wochenschrift' a. 1916) commentatio prodiit Wessneri ('Isidor und Sueton' Hermae tom. LII a. 1917 p. 201 sqq.), qui non modo Schmekelii rationes optimo successu confutavit, sed simul planissime docuit, quomodo librum suum compilaverit et ex quibus fontibus episcopus Hispalensis.

fere quas exhibui V p. 546 sq. ex cod. Vaticano 1471; in his sunt etiam glossae ad Metam. I l sqq., quarum pars sine dubio ex scholiis fluxit. Sed cum plenior sit cod. Parisinus, priorem certe glossarioli partem hoc loco exhibere visum est.

Fol. 302^v *INCIPIT GLOSE.* *Almus sanctus sibe abolendo dictus. Arbitrator index eo quod arbitrio suo causas dirimat. Aether celum quia nobis non uidetur et igneus esse dicitur. Aethera aer. notandum quia aer accusatiuum singulariter aera facit sicut aether aethera. Arduus altus. Artum strictum. Affatim abundanter id est nutritor siue nutritus. Alamnus et qui alit et qui aletur. Auceps aues capiens. Aerumna miseria. Equor mare siue capus abequalitate dictum. Atrox crudelis. Equitas iustitia. Agelas dicitur qui numquam ridet. Angor tristitia. Augur diuinus dictus eo quod auium garritus idest uoces attendat. Auiā extra uiam. Euum saeculum. Tellus terra dicta quia ex ea fructus tollimus (Metam. I 12). Chaos permistio elementorum qualis mundi fuit antequam per species diuideretur. G C. (I 7). Rudis nouus (I 7). Indigesta incompressa (I 7). Molis magnitudo (I 7). Necquicquam nec aliquid (I 8). Iners piger (I 8). Congesta adunata uel permixta (I 8). Titan sol (I 10). Phoebe luna (I 11). Librata suspensa ex equali parte (I 13). Amphitrites oceanum mare magnum extremitas unius cuiusque rei (I 14; contaminata; cf. margine I 14). Pontus mare (I 15). Innabilis innatabilis qui natare non potest (I 16). Lucis egens lucem opus habens quasi dixisset obscurus (I 17). Obstabat repugnabat (I 18). Vmenia humida (I 19). Diremit separauit secreuit segregauit diuisit (I 21). Liquidum celum subtile dicitur et perspicuum (I 23). Spissum grassum uel pingue (I 23). Exemit eduxit (I 24). Aceruus congregatio lapidum uel cuiusque rei sed et congregatio manipulorum sic dicitur (I 24). Dissociata disiuncta (I 25). Conuexum decursum uel inclinatum (I 26). Emicuit superius se extulit (I 27). Arx summus uel repugnacula seu domus (I 27). Densior spissior (I 29). Elementa initia cuiuscumque rei uel litterae (I 29). Circumflus qui circumfluit id est circumdat (I 30). Coercuit refrenauit (I 31). Congeriem congregatione (I 33). Secuit secavit (I 33). Foret esset (I 35). fol. 303^r. Glomerauit insimilitudinem gloui rotundam effecit (I 35). Freta maria (I 36). Ambite circumdare (I 37). Stagna stando dicta ubi aqua pigra est (I 38). Obligum decum decursum (I 39). Partim diuisa per partes (I 40). Liuerior largior (I 42). Plaga quaelibet pars mundi ut oriens uel occasu (I 48). Totidem alias tantas (I 45). Temperiem temperamentum (I 51). Imminet desuper pendet (I 52). Onerosior ponderosior (I 53). Consistere inesse (I 54). Motura mouitura (I 55). Obsisto resisto (I 58). Flammira uentorum flatus (I 59). Lanient lacerent (I 60). Euris nomen uenti (I 61). Nabathea regna orientalia (I 61). Iuga summitates montium (I 62). Occiduo occidentali (I 63). Zephyrus fabonius (I 64). Horrifer horridus (I 65). Pluuuius pluuiialis pluio pluuiali (I 66). Carentem non habentem (I 67). Disepserat diuiserat (I 69). Neu et ne (I 72). Orbus dicitur et qui lumen amittit et qui eum quem diligit (I 72). Sublimis altus (I 85). Satus seminat (I 89). Visere uisitare (I 94). Norant nouerant (I 96). Praecipites decliue inclinate (I 97). Oppidum ciuitas (I 97). Inmunis sine munere (I 101). Saucia vulnerata (I 102). Arbuteos fetas. poma arbuti quam arbutum dicunt (I 104). Herentia pendencia (I 105). Patula aperta (I 106). Nectaris dulcedinis suauitatis (I 111). Flauum coloris aurei (I 112). Subiit ascendit (I 114). Deterior peior (I 115). Fuluus color est qualem harenam uidemus habere. nam et aurum fului coloris est (I 115). Iuppiter iouis (I 116). Vstus incensus (I 119). Canduit nunc ab igne caluit nunc splenduit (I 120). Subire in-*

trauere (I 121). *Frutices breues uirgulę* (I 122). *Obruta cooperta* (I 124). *Promptior paratior* (I 126). *Nauit natauit* (?). *Nauita nauta* (I 133). *Opifex artifex*. *Protinus ilico*. *Probus bonus*. *Probitas bonitas*. *Praestolatur exspectat*. *Potitur* (ex *Portitur*) *fruitur*. *Gratius gregus*. *Danaus grecus*. *Paelasgus graecus* (ex *grae-gus* corr.). *Atrum nigrum*. *Claucum uiridem*. *Iliades singulari numero romulus intellegitur filius iliae et est patronomicum plurali numero aliades*. *troiani uel troianę dicuntur*. *ab alio oppido*. *est autem nomen patriae* . . .

Etiam in eis quae secuntur nonnullae sunt glossae, quae non sine causa ad Ovidium referantur; sed longe plurimae alienae sunt et recentioris aetatis. Talia excerpta ad alphabeti ordinem digesta facile glossariorum formam induebant: quibus cum aliis glossariis contaminatis vestigia prisci fontis magis magisque obscurabantur. Ex scholiis autem natas esse has glossas velut uno ex exemplo discas: *Iliades singulari numero romulus intellegitur filius iliae et est patronomicum plurali numero*. *aliades troiani uel troianę dicuntur ab alio oppido*. *est autem nomen patriae*. Quae spectant ad Metam. XIV 781 (cf. Prisc. II 34). Adde *fuluus color est qualem harenam videmus habere*. *nam et aurum fulvi coloris est*. Haec pertinent ad Met. I 115. Excerpta igitur haec esse ex scholiis glossisque marginalibus probabile existimo.

§ 28. Ad scholia de quibus longus esse nolo tractatus grammatici accedunt, quorum copias in glossarum formam mutatas glossographi in suum usum converterunt.¹⁾ Quot glossae Pseudocyrelli ex libro illo grammatico cuius § 7 rationem habuimus desumptae sint, supra expositum inuenias. Inter scriptores quorum copias studiose adhibuerunt glossographi non infimum locum Hieronymum obtinere, doctum Donati discipulum, iam ab aliis perspectum est (cf. quae Loewe Prodr. locis plurimis adnotavit). Veluti additamenta codicum Parisini 7690 (a) et ex parte Hauniensis (c) ad Hieronymi commentarium lesaiae redire, non ad nomina sacra quae Lagarde ediderit (cf. nunc 'Eusebius Onomastikon' ed. E. Klostermann 1904), iam Roensch adnotavit Mus. Rhen. vol. XXX (1875) p. 449 sqq.; certe vocabula hebraica in illo commentario exstare. Multas glossas eum qui libri glossarum materiam congescit ex Hieronymi commentariis hausisse iam ex eis cognosces quae in commentatione de libro glossarum scripta p. 262 (= 52) dixi. Alia Fridericus Lammert Philol. N. F. XXIX a. 1919 p. 395 sqq. et 'Berliner phil. Wochenschr.' 1917 p. 222 sqq. attulit. Quamquam haec

1) Ex collectionibus nescio cuius grammatici aduerbia illa Plautina fluxerunt, quae Fridericus Ritschl Opusc. phil. II p. 228 sqq. optime tractauit. Nomen 'glossarii' his excerptis immerito tribuitur; nam mera lemmata sunt, interpretamentis praeter paucissima non additis. Talia legenti facile in mentem veniunt, quae Iulius Romanus in capite de adverbio ex Statilii Maximi quaestionibus excerpsit.

quaestio nondum exhausta est, ne eis quidem quae in *Thes. gl. em. atulimus*. Etiam in glossariis anglosaxonicis multa inesse quae ad Hieronymum pertineant infra docebimus.

Ex recentiorum grammaticorum serie duo inprimis glossographorum arva irrigaverunt (de quibus in *'Mélanges Boissier'* paucis disputavi p. 223 sqq.), Priscianus et eius discipulus Eutyches (vel Euticius). Atque *'glossae de libro Eutitii'* leguntur in cod. Parisino 14087 saec. IX fol. 97^r—98^r eaeque tam exiles sunt atque aridae, ut cur diutius in iis immorer non habeam. Plura de Prisciano dicenda, quippe ex quo et graecae et latinae glossae haud paucae emanarint: quarum cum per totam mediam aetatem vestigia pertineant, cur nihilo minus in glossariorum editione alto premantur silentio, paucis hoc loco exponam.

Agmen ducat glossarium copiosum, quod ex codice Laudunensi olim Miller edidit (cf. *Notices et Extr.* XXIX p. 118 sqq. *Corp. gloss. lat.* II p. XXVI sq.), ita compositum, ut grammaticus quidam (Martinus, si recte coniecit Miller), siquidem qui scripsit grammatici nomine non indignus putatur, graeca vocabula quae apud Priscianum exstent exciperet, excerpta latina interpretatione adnotationibusque suo Marte augeret: quo in negotio quomodo graeca vocabula corruerit, in partes dissecuerit particulis propriam vitam tribuens, etymis ineptissimis explicuerit, barbariae specimina sordesque insulas immiscuerit, qui historiam studiorum graecorum in parte regni occidentali rimabuntur, non glossariorum perscrutatores linguam latinam illustraturi tractabunt.

Inter glossaria latina quae ex Prisciani libris enata sunt primo loco liber glossarum, quem Ansileubo episcopo multi tribuerunt, commemorandus est, in quem tractatum de vocis differentiis transisse in commentatione de libro glossarum scripta p. 55 = 265 exposui. Multo tamen et plura et uberiora excerpta Papias elementarium continet, in quo quicquid in omnibus paene libris Prisciani, Boetii aliorumque invenerit iisdem notatum esse apicibus auctor dicit idque verum esse infra probabitur. Nec solum nomine adscripto excerpta Priscianeae exhibet Papias, sed multo plura nomine oppresso, inprimis disputationes observationesque ad artem grammaticam pertinentes; nec uno loco Priscianeae cum aliis additamentis contaminata invenies. Tertio loco commemoro *'derivationum'* librum cum exemplis antiquorum scriptorum, adscitum illum in vastis concinnandis collectionibus Osborni monachi Glocestriensis (cf. *A. Mai* t. VIII) et Hugucionis Pisani, in quo libro et Prisciani excerpta uberrima et Pauli glossas plurimas exstare comparatis utriusque corporis copiis facile demonstrabis. De his omnibus infra diligentius agetur. — Restat ut de glossariis dicam quae ad ipsa Prisciani verba illustranda composita esse constat. Vnum ex

his iam Martinus Hertz commemoravit, qui praef. Prisciani p. XXIX haec scripsit: 'talium scholiorum corpus ex interpretamentis Scotorum, Donato, Servio, Paulo, Beda aliis consarciratum exstat in codice monasterii Einsidlensis n. 32 saec. XI, membr. formae oct.' Quem codicem etsi oculis non vidi, tamen eandem farraginem continere suspicor quam in codicibus Leidensi inesse et Parisino possum testari. Codicem Leidensem (Voss. oct. 37, saec. XI) descripserunt Keil GR. L. I p. XXIII et Steinmeyer AHD. GL. IV p. 480, qui theodisca inde vocabula excerptis. Glossae Priscianae continentur p. 1—30, unde mihi excerpta praesto fuerunt quae Thewrewk de Ponor Loewio olim transmiserat. Codice Parisino lat. 7730 = Reg. 5069 saec. X usus est Keil in glossis Iuvenalianis edendis (ind. Hal. a. 1876). Prisciani glossae insunt in fol. 95^v—108^v, ex quibus nonnulla excerptis Gundermann. Omnino confitendum est Hertzium de his glossis optime iudicasse; certe non fuit cur corpori glossariorum inferrentur.¹⁾

Ex medii aevi grammaticis affero Bedam, cuius liber de orthographia cum Placidi glossis et aliis contaminatus in codice Vaticano 1469 saec. X legitur, de quo IV praef. p. XVII, V praef. p. XVIII et p. XXX dixi. De Paulo Diacono qui Festi epitomen confecit infra tractabitur. Ex Eucherii libris non pauca in glossaria transisse Loewe saepius adnotavit. Mitto nunc glossas in 'librum glossarum' qui dicitur translatas, de quibus infra paucis disputabitur: satis sit hoc loco 'formulas spiritalis intelligentiae' commemorasse, unde nescioquis excerpta fecit et in glossarii formam redegit ('*glossae spiritalis secundum Eucherium episcopum*'), quas glossas frequentissime in libris exstantes separatim Carolus Wotke edidit (cf. Pitram Spicil. Solesm. III p. 400) et docto commentario illustravit 'Sitzungsberichte der Philosophisch-historischen Classe der Kais. Ak. d. W.' vol. 115 (Wien 1888) p. 425 sqq.; cf. eiusdem editio (Corp. Script. eccl. lat. vol. XXXI) p. XVI. Incipit sic: '*Agricola deus, Ager mundus, Aures domini exauditio divina, Arcus intentio conminationis domini, Arma domini adiutoria eius in sanctos, Aquilo diabolus vel homines infideles, aquilo ventus, Auctor calor fidei, Aer inanis enuntiatio, Aestas venturae iocunditatis praefiguratio*' et sic explicat: '*umbra peccata, umbra aliquando poenae, umbra dilectio peccatorum, vigilare custodiam cordis adhibere, via Christus, zizania scandala vel male viventes,*

1) Etiam cod. Paris. lat. 7501 in fol. 211^v—220^r glossas ex Prisciano continet; item cod. Paris. lat. 13023 saec. IX. Cod. 7501 quomodo cum commentario Remigii Autissiodorensis cohaereat quem scripsit in Priscianum tetigit Manitius p. 508. Perbonum exemplar harum glossarum est in cod. Vaticano reg. Christinae 1650 saec. IX in fol. 11^a—39^a. Ex huius libri excerptis vidi permulta libro glossarum deberi.

zelum indignatio. Quae excerpta cum in glossaria penetraverint, miras interdum turbas contaminatione procreaverunt, de quibus videas quae in Thesauro glossarum emendatarum hic illic suis locis adnotavimus.

Inter tractatus grammaticos, ex quibus glossographi hauserunt, Dosithei copias fuisse glossariolo demonstratur quod V p. 660—664 exhibuimus: quibus excerptis si interpretamenta addita essent, facile in ordinem glossematum inseri potuerunt. Etiam differentias Isidori in glossarum formas esse mutatas cod. papyraceus Sangallensis 226 testis est, quem Carolus Wotke accurate tractavit (cf. 'Sitzungsberichte d. Phil.-hist. Cl. d. Kais. Ak. d. W.' CXXVII pars 1). His adde glossaria ex Fulgentii Expositione sermonum antiquorum quae supra (p. 74) tractavimus, adde Nonii glossas, de quibus in eodem capite disputavimus, adde excerpta quae glossis 'asbestos' (IV praef. p. XVIII) inserta esse dixi Mus. Rhen. vol. XL (a. 1885) p. 324 sqq. et infra § 36; adde 'glossarium de domiciliis', quod in multis libris exstare et variam formam subiisse ex docta disputatione cognoscas, qua Christianus Huelsen has reliquias illustravit; cf. 'Mitteilungen des K. D. Archäol. Instituts' (Rom. 1902) vol. XVII p. 255 sqq., ex qua commentatione quid alii de his reliquiis censuerint commode discas (lemmata sunt *proaulum*, *salutatorium*, *consistorium*, *tricornum*, *zetac hiemales*, *zetac aestivales*, *epicasterium*, *triclinia accubitalia*, *thermae*, *gymnasium*, *colina*, *colimbus*, *hypodromum*, scilicet ad partes principales pertinentia quae in hominum nobilium domibus distinguere solebant); quibus non dubito quin alia excerpta addi possint et possent, nisi fatis glossariorum modo contractorum modo auctorum modo aliter mutatorum quominus fontes cognoscerentur impediretur.

§ 29. Ex Isidori episcopi Hispalensis copiis glossographos multa abstulisse iam saepius commemoravimus: quocum qui inscriptionem secuntur quam Vulcanius glossis Scaligeri (cf. V p. 589 sqq.) praemisit ('Liber glossarum ex variis glossariis quae sub Isidori nomine circumferuntur collectus') glossarium olim a multis laudatum vinculo quodam artiore coniunctum esse existimabant. 'Glossae Isidori' etiam in libro manuscripto Andegavensi glossario ab avus minori praescriptum est, quod vol. IV praef. p. XXII commemoravimus. Sed si verum est quod Albertus Lemarchand ibidem de hoc codice dicit, inscriptio inde ducta est, quod illae glossae inter varia opuscula Isidori exaratae leguntur. Quas glossas nullo esse vinculo coniunctas cum eis quae 'Isidori' nomine a Scaligeri temporibus circumferebantur non est quod moneam. Ipsas vero 'Isidori glossas' quae dicuntur vera non esse Isidori Hispalensis aut nescio cuius Isidori iunioris, sed sexto decimo demum saeculo ex variis glossariis collectas et His-

palensi episcopo attributas infra § 60 copiosius exponetur. De his igitur glossis eo capite in quo versamur non disputabitur.

Igitur de glossariis quae Isidorus inspexerit quaerentibus initium capiendum erit a glossis Placidi, de quibus supra iam disseruimus (cf. cap. VI; adde Philipp l. s. s. p. 65 sq.). Ex quali libro pendere videatur Isidorus, praef. V p. XV indicavi: nempe 'ex eadem memoria [h. e. ex memoria quae est in magno libro glossarum] ni prorsus fallor pendet Isidorus; quibus idem differt, eis merito diffidemus, cum satis libere eum versatum esse in excerptendis auctoribus dudum intellectum sit'. Cf. commentatio mea 'der liber gloss.' p. 63 [= 273] sqq. Locos ipsos plurimos Deuerling in ed. sub apparatu, ipse in glossario generali indicavimus; neque habeo cur in hac re diutius verser, praesertim cum Wessner commentationis supra allatae pag. 263 sqq. optime de eadem re disputaverit, Placidi locos qui cum Originibus componi possunt collegerit, rationem qua Isidorus in his glossis adhibendis usus sit illustraverit.¹⁾ Isidorum autem praeter Placidum etiam alia glossaria adhibuisse neque demonstrari neque refutari posse opinor; primum enim non omnia quae olim exstiterunt glossaria ad haec tempora propagata esse constat; tum Isidorum manifestum est multa ex scholiis Vergilianis petisse, ex quibus etiam glossaria amplificata sunt; denique quae similia aut eadem leguntur apud Isidorum et in glossariis inde explicanda sunt, quod copiae Isidori a glossographis libentissime excerpebantur.

Ex scriptis Isidori inprimis liber decimus Etymologiarum huc spectat, cuius haec est praefatio (in edit. Arevali): *VOCVM CERTARVM ALPHABETVM*. 'Licet origo nominum unde veniat a philologis eam teneat rationem, ut homo ab humanitate, sapiens a sapientia nominetur, quia prius sapientia, deinde sapiens, tamen claret alia specialis in origine quorundam nominum causa, sicut homo ab humo, unde proprie homo est appellatus. Ex quibus exempli gratia quaedam in hoc opere posuimus.' Ex quibus fontibus hauserit Isidorus ea quae decimo libro inseruit, ex parte iam Arevalus in adnotationibus optime exposuit; perspexit enim permulta ex scholiis Vergilianis profluxisse (cf. etiam quae Thilo de eadem re praef. p. XXXIX sqq. disseruit). Praeter scholia Servii quae feruntur etiam Donati commentarios, tum patres ecclesiasticos exscripsit, Augustinum, Hieronymum, Lactantium, Cassiodorum, alios; nec incredibile nonnulla ipsi Isidoro deberi. Ceterum hunc librum seorsum propagatum esse et descriptum ut integrum ita additamentis auctum certum est; cf. Loewe Prodr. p. 167, 21. Velut

1) Cf. idem ibidem: 'Nimmt man dies zusammen ..., so wird man doch wohl bei der alten Ansicht bleiben müssen, daß Placidus zu den Quellen Isidors gehört'.

in cod. Bern. 416 saec. XII glossarium exstat ab his glossis incipiens: *Argutus dr̄ qui argumentum cito inuenit in loquendo, Agilis ab agendo aliquid celeriter sicut docilis dr̄, Aerumpnosus ab erumpna (a rumine codd. Isidori) dictus quia miser per inopiam factus esurit et sitit, Astrosus ab astro dictus quasi sub malo sidere natus; quae omnes ex Isidori libro excerptae sunt. Sed etiam aliunde quaedam illata esse his exemplis credes: decempeda dr̄ uirga x pedum qua mensuratur terra, Eurippus dr̄ fervor maris unde tractum est hoc nomen Euripides cuius pater in die natalis eius hostes suos navali praelio uicit eu bonum rippus quasi ripa inde maris feruor dr̄ eurippus quasi bona ripa per contrarium, ut alia mittam. Excerpta quae mihi ad manum fuerunt Gundermanno debeo. Insunt etiam singularia quaedam, quae tamen ad mediam potius aetatem quam ad antiquitatem illustrandam pertineant. Velut haec: *merges dr̄ gerba quia in agro mergitur et sternitur.**

Praeter librum decimum etiam alias partes Originum excerptas esse ex eis disces quae in Thesauro glossarum emendatarum data occasione adnotavimus. Velut in cod. Parisino 5014 saec. XII leguntur 'exceptiones de ysidoro ethimologiarum. Analogia graece latine similium operatio' e. q. s. Etiam parvolum illud glossarium codicis Parisini 7530 saeculi VIII, quod edidit ex 'Esidori iunioris Palestinensis episcopi' (scr. Isidori iunioris Hispalensis episcopi) codice Gaisfordius scriptor. lat. rei metr. p. 573, paucis tetigit Loewe Prodr. p. 231 sq., ex Isidori Originibus excerptum est. Exstat in codicibus plurimis, velut in cod. Leidensi Voss. lat. oct. 74 saec. IX p. 289—291, in cod. Guelferbyitano 481 saec. IX, in Florentino S. Marci 38, in Veneto Bessarionis 497 saec. XI, Harleiano 3826; ex quo glossariolo multa in maiora glossaria recepta sunt, ut in cod. Carnotensi 90 nonnulla exstant. Prima verba haec sunt (in Parisino): *INCIP GRAMMATICAE ARTIS NOMINA GRECE ET LATINE NOTATA. Poeticus liber. Poeta unius libri opus. Poesis multorum librorum. Edilyon paucorum versorum, Monostichon unus versus. Distichon duorum versorum. Ephodon clausula in poemate. Epigramma titulus: quibuscum conferas Isidori Orig. I 39, 21—23. Adde haec: Macra longa. Brachia brevis. Oxia acuta. Baria gravis. Perispomeni circumflexus. Dasia hispidum vel asperum unde et haspicio (aspiratio?) Psile lene vel purum (cf. Orig. I 19, 1 sqq.). Non desunt glossae aliunde illatae, velut ex Placido hae: *Themā norma vel forma sive materia. Periodos clausula sive circuitus nam colē totus versus est commata autem ipse incisiones pedum periodos vere tota sententia.* In plerisque exemplaribus velut in Leidensi prima glossa est *Poeta vates*; inscriptio ibidem est haec: *Incipiunt grammaticae artis nomina grece et latine natura* (h. e. notata, ut est in Parisino).*

Item ex Isidoro fluxerunt 'flosculi ex etymologiis breviter ablati ab Auxilio presbytero', qui exstant in cod. Vatic. 1469 (cf. IV praef. p. XVIII) in fol. 223^a—271^b, translati hinc in cod. Cassin. 90 (*Incipiunt flosculi ethimologum breuiter ablati ab Auxilio pb'ro* scripsit m. saec. XIII pro alia inscriptione nunc deleta), sed coniuncti cum alio glossario amplissimo, de qua re haec adnotavit Loewe: 'Vergleicht man den Auxilius des Casinensis mit dem des Vaticanus, so ergibt sich, daß ersterer mit einer gewaltigen Anzahl reiner Glossen (jedenfalls einem ganzen Glossar) verschmolzen ist. Im Vaticanus ist fast nichts von eigentlichen Glossen zu spüren, alles sind etymologica. Daß nun der Casinensis interpoliert, der Vaticanus der ursprüngliche Auxilius ist, ergibt sich aus dem Titel: *flosculi ex etymologiis breviter ablati* gibt ja an, daß es Excerpte aus den Origines sind. Ein Vergleich des Buchstabens Y in beiden Handschriften zeigte, daß der Casinensis alle Glossen des Vaticanus hat (noch viel andere natürlich außerdem), und zwar die Glossen 1—5 in derselben, die von 6—10 aber in umgekehrter Reihenfolge. Die Varianten der beiderseitig erhaltenen Glossen sind fast gleich Null. Das einverwobene Glossar ist aufs engste verwandt mit Cas. 402¹, somit aber auch mit der Sippe des Vatic. 1469¹). De Auxilio, eodem procul dubio cuius in cod. Casin. 30 exstant quaestiones in Genesin (*Auxilii presbyteri quaestiones*), cf. Manitius p. 437 sqq., ubi alii fontes indicantur. Codicem Vaticanum ex Casinensi bibliotheca provenisse idem Loewe probabile videri adnotavit.

Talia autem excerpta exstant permulta, velut quae traduntur sub titulo 'Origo quorundam nominum per alphabetum' e. q. s. in cod. Parisino lat. 8865 (suppl. lat. 10. 2) saec. XIII fol. 216^r—262^r; adde cod. Parisinum 1750 in fol. 146—152; item cod. Parisinum lat. 16592 saec. XII, ex quo nobis excerpta misit O. Roßbach. Eodem pertinet glossarium codicis Bernensis 243 saec. X in fol. 1—9. Inter excerpta porro quae ex Isidoro fluxerunt haud mediocrem auctoritatem nactum est 'Summarium Heinrici' quod dicitur, de quo conferenda sunt quae post alios exposuit Steinmeyer tertio volumine: cuius paginas 58 sqq. editio ipsa occupat; de codicum classibus et historia critica p. 701 sqq. disputatum est. Quod 'summarium' post a. 1007 ortum esse inde constat, quod inter sedes episcopales Bambergensis enumeratur. Sed ut ad studia theodisca multum valet ita latinis quaestionibus paucissima quae bonae frugis sint adferre potest. Agmen claudat qui glossarium illud contexuit, cuius nuper fragmentum edidit ex codice Seidenstettersi saeculi XIII Petrus Ortmayr (Ein Bruchstück aus einem mittelalterlichen alphabetischen Glossar in der Seitenstettener Stiftsbibliothek, Linz 1913), quamquam etiam aliunde haud pauca immixta sunt, velut

ex Servio et Prisciano. Sed nullum medii aevi opus doctum tanto opere pendet ex Isidori libris, quam quod Ansileubo vulgo tribuunt Francogalli, apud nos sub nomine 'libri glossarum' notissimum, de quo nunc diligentius disserendum esse putavi: in qua disputatione me haud pauca repetisse ex commentatione mea de hac encyclopaedia olim proposita et Actorum societatis regiae Saxonicae volumini XIII inserta semel monuisse satis erit.

CAPVT XI. DE LIBRO GLOSSARVM

§ 30. 'Liber glossarum', quo nomine per se quaevis glossarum collectio dici potuit, medii aevi magnam illam encyclopaediam inscriptam esse de qua vol. V praef. p. XX diximus codices quidam testantur, velut Bernensis, item Bambergensis (*incipit liber glossarum*): adde quod codex Palatinus in vetere catalogo Laureshamensi '*liber grandis glossarum*' dicitur. Vnde factum est, ut nos quoque Vseneri et Loewii exemplum secuti hoc nomen tamquam peculiare vasto illi glossario multis eisque vetustissimis libris tradito tribuerimus.

Ansileubi esse hoc glossarium in codicis Cambracensis vetustissimi folio primo anonymus adnotavit verbis hisce: Note qu'un anonyme a mise au premier feuillet du Ms. de S. Germain. "M. de Caseneuve dans ses Origines cite souvent le Glossaire d'Ansileubus Evêque Goth. comme sur les mots *armoiries*, *Mouton*, *Quay*. ce qu'il en cite sur ces trois mots se trouve dans ce glossaire, ce qui fait conjecturer que ce glossaire est véritablement celui d'Ansileubus de M. de Caseneuve". H. D. M. Quam adnotationem, quamvis nunc non sit in cod. S. Germani, tamen a Benedictinis ibi lectam esse testatur 'Nouveau traité de diplomatique' tom. II (Paris 1755) p. 83 sq.: "D. Rivet ne dit rien d'autre chose de ce manuscrit (agitur de cod. S. Germani) sinon, que S. Isidore est le dernier auteur, qu'on y trouve cité, et qu'il paroît plus anciens que ceux, dont il venoit de parler . . . Une note postérieure à sa donation, porte que M. de Caseneuve, dans ses Origines, cite souvent le glossaire d'Ansileubus évêque goth, auteur peu connu. Sur les termes *armoiries*, *mouton*, *quai* les citations de ce Monsieur se rencontrent, dit-on, dans le glossaire. D'où l'on conjecture, que c'est son Ansileubus. Catel cite aussi le glossaire d'Ansileubus ou d'Angileubus, qu'il avait copié sur un manuscrit de l'abbaye de Moissac. Mais les textes rapportés par cet auteur prouvent, que les mscr. 12 et 13 de Saint-Germain en sont diférens". Cf. ibid. III (a. 1757) p. 66 sq. Vnde constat primum illum qui verba nunc perdita codici Sangermanensi adscripsit, librum glossarum cum Ansileubo coniunxisse nullo alio argumento

confisum quam quod loci apud Caseneuve tributis Ansileubo in hoc quoque libro exstant. De his igitur locis diligentius quaerendum est.

Liber quem reliquit Caseneuve inscribitur sic: 'Les Origines Françaises' et annexus est dictionario etymologico Menagii a. 1694 edito. In quibus Originibus hos locos 'Ansileubi' inveni (nisi quid me fugit): 1. p. 2 ('dans les glossaires de Papias et d'Ansileubus'): *Caplosus elisus*; 2. p. 7 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Ascella locus sub brachio*; 3. p. 12 ('le glossaire de l'Evesque Goth Ansileubus'): *Arma quibus deffendimur, rotunda: tela quibus oppugnamus, longa*; 4. p. 18 ('le glossaire de l'Evesque Goth Ansileubus'): *Bauones stulti rustici*; 5. p. 26 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Bussus pinguis obesus* ('dans le glossaire d'Ansileubus il n'y peut avoir de faute dans l'écriture, parceque les mots de chaque lettre y sont rangés selon l'ordre de la première syllabe'); 6. p. 31 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Calamaula canna de qua canitur*; 7. p. 31 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Caplum funus a capiendo dictus*; 8. p. 33 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Camisiae vocantur quod in his dormimus incamis*; 9. p. 40 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Disseruisse aperuisse*; 10. p. 40 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Divinacula sortes*; 11. p. 41 ('le glossaire d'Ansileubus'): *Pincerna scantio*; 12. p. 52 ('le glossaire de l'Evêque Goth Ansileubus'): *Fridor frigus*; 13. p. 53 ('le glossaire de l'Evêque Goth Ansileubus'): *Fimarium sterquilinium*; 14. p. 59 ('le glossaire de l'ancien Evêque Goth Ansileubus'): *Agrenulae, ranae parvae in sicco morantes*; 15. p. 79 ('le glossaire d'Ansileubus, Evêque Goth'): *Mutilum sine cornibus*; 16. p. 87 ('Ansileubus'): *Kaii cancelli*; 17. p. 93 ('le glossaire d'Ansileubus dit la même chose = Isid. XX *Sagma quae corrupte vulgo sauma a Stratu Sagorum vocatur; unde et caballus Sigmarius et caballa Sigmaria*); 18. p. 94 ('l'ancien glossaire d'Ansileubus, Evêque Goth, où j'ay lu): *Saucius tristis*; 19. p. 95 ('Ansileubus'): *Asilum tabanum*. Ex quibus glossis liber glossarum has continet sine graviore discrepantia: 1; 2 (*Arcella — brachia* cod. Sangerm.); 5; 6 (*canit*); 9; 10; 11 (*scantia*); 16; 17; 18 (*Saucia*); 19 (*Asilum*). Contractae sunt gl. 3 (*Arma sunt quibus defendimur id est rotunda, tela quibus oppugnamur id est oblonga* omissis leviusculis quibusdam rebus cod. Sangerm. et Bern.); 7 (*caplum funis a capiendo quod eo indomita iumenta comprehendantur*). 8 (*Camisia vocata quod in his dormiamus in camis id est in stratis vestris* e. q. s., ita gloss. Salom. = Isid. XIX 22, 29). 12 (*Fridor frigus frigidum*). 14 (*Agredulae ranae parvae in sicco vel agris morantes unde et nuncupatae*). 15 (*Mutilum sine cornibus sine truncos*). Maior mutatio in 4 est (*Baccunis stultis rusticis* et alio loco *Buccones stulti rustici* lib. gloss.). Prorsus deest 13; *fimarium* est apud Wuelckerum-Wright p. 797: *hoc fimarium hoc sterculinium a muckelle*. Quae qui diligenter inspexerit,

cur neget Caseneuve libri glossarum exemplar ante oculos habuisse non inueniet, sed nec integrum nec incorruptum, immo hic illic contractum et additamentis noviciis auctum illud fuisse censebit. Vnde didicerit Caseneuve Ansileubi fuisse glossarium, nescimus: sed illud nomen nesciociubi in ipso glossario perscriptum fuisse probabile existimo.

Praeter exemplar Caseneuvii illud non neglegendum erit quod Catel in libro qui inscribitur: 'Mémoires de l'histoire du Languedoc' (Toulouse a. 1633) adhibuit. Qui vir doctus, ut ipse in auctorum tabula indicat, duo glossaria inspexit, alterum quod simpliciter 'glossarium vetus' dicit, 'glossarium Ansileubi Gothi M. S.' alterum. Cuius generis prius illud glossarium fuerit, aegre dicas; commemoratur p. 6 ex eo glossa haec: '*Bracae breues solent esse, non enim solent habere tibialia, sed extendi ad genua*' et paulo post: '*unde et braccata quondam dicebatur Gallia*', de quibus videas quae nunc in Thesauro linguae latinae composita inveniuntur. *Bracas* autem in glossariis bilinguibus haud ita raro commemorari vol. VI p. 151 docuimus. Sed quod magis ad nostram quaestionem spectat, p. 19 hoc legitur: '*Bagina pour uagina comme est escrit dans le glossaire d'Ansileubus Goth.*' et p. 125: 'j'ay trouvé pareillement dans un ancien Glossaire d'Ansileubus que j'ay escrit à la main et lequel j'ay extraict des archifs de l'abbaye de Moissac que *Capitolium* est interpreté *Capitulum* et *Capitolinus* qui *Capitolio* seruit' et p. 183: 'Tay ches moy un ancien glossaire escrit à la main, composé par *Angileubus Gotthus*, dans lequel ce mot de *capitolinus* est expliqué qui *capitوليو* seruit', denique p. 316: '*Conuenae* (comme dit un ancien Glossaire, que j'ay escrit à la main) *sunt aduenae de diuersis locis*' (quae glossa ex utro glossario sumpta sit, non indicatur; verba 'que j'ay escrit à la main' videntur ad Ansileubum pertinere). Ex quibus glossis quam primo loco attuli revera in libro glossarum inveniri moneo; pro *conuenae sunt aduenae de diuersis locis* libri glossarum exemplaria pura habent *Conuene aduene peregrini*, *Conuenae commanentes*, *Conuenae de diuersis locis ueni*; unde Papias hoc contaminando effecit *Conuenae aduenae de diuersis locis*; ac paene eandem formam exhibuit liber Ansileubi, quem exscripsit Catel. *Capitolium capitulum* in libro glossarum non inveni, sed lemmata *Capitolium* *Capitolia* excipit lemma *Capitulum*, unde nescio an illa glossae forma originem traxerit. Pro *Capitolinus* qui *Capitulo* (*capitوليو* altero loco) *seruit* in libro glossarum est *Capitolinus capitوليو* *seruiens* (pro quo *deseruiens* in quibusdam libris legitur). Vnde apparet, si Ansileubus ille cum libro glossarum coniungitur, exemplar quo usus est Catel a vetusta vetustorum librorum traditione aliquatenus diversum fuisse. Idem de glossario Caseneuvii valere cum perspexerim, non improbabile esse censeo de uno apud utrumque agi

glossario, quod Catel in archivo abbatae Musciacensis (Moissac) invenit et exscripsit. Vterque enim vir doctus, Caseneuve et Catel, Tolosa sunt oriundi (Caseneuve natus est a. 1591, Catel 1560; liber Catelii prodiit a. 1633), uterque historiam Languedocensem tractavit: unde non dubito quin liber Musciacensis unicus testis sit qui Ansileubi nomen tradiderit. Quo fundamento tamen illud testimonium nitatur cum nemo divinare possit — nam in reliquis ut vetustissimis ita recentioribus exemplaribus nullum huius nominis vestigium est — in eis quae dixi subsistendum esse opinor. Nominis formam per se bonam esse et Vsener (Mus. Rhenan. 24 p. 384 = Kl. Schr. II 242) vidit et Arbois de Jubainville (cf. Berger de glossariis et compendiis quibusdam medii aevi ed. Parisiis a. 1879 p. 10) confirmavit. Adde quae Gustavus Loewe Prodr. p. 224 sq. exposuit.¹⁾

De tempore quo magnum hoc glossarium conditum sit qui quaeret, vetustissima quae ad nos propagata sunt exemplaria posteriori parti saeculi octavi tribuenda esse non negleget; quamquam cum iam tum libri exemplaria in diversam recensionem abiissent, primariam formam etiam paulo prius ortam esse certum videtur. Vnde olim non post 750 id factum esse conieci. De 'termino post quem' nescio an aliquid discamus ex eis quae Hagen in Anecd. Helv. p. XLIV adnotavit: 'nam cum locis fere plurimis (scil. libri glossarum) mera Isidori verba proponantur, non pauca inveniuntur Isidorianis, auctorum nominibus praetermissis, subiuncta, quae aut ad Donatum aut ad Servium aut ad alium artigraphum referenda sunt. Ex quibus ea inprimis commemoratione digna videntur, quae, dum Donati verba ipsa accurate exprimunt, alia illis admixta vel inserta vel superaddita habent. Quorum quae ad figurarum poeticarum explicationem pertinent, ad unum fere omnia in quadam arte codicis Bernensis 267 inveni, quam ex iisdem quibus Iuliani doctrina fluxit fontibus manasse infra . . . demonstraturus sum.' Similia enim excerpta exstant in cod. Amploniano 10 (in folio), de quibus copiose disputavit R. Hanow de Iulio Toletano (ed. a. 1891); quae excerpta mihi ex Isidoro et Iuliano conflata videntur esse, quale genus tractatus ad librum glossarum consarcinandum adhibitum est; unde factum est, ut Isidoro tribuantur aliquot loci qui cum Isidoro ex parte tantum conspirant, saepius omnino non conspirant. Exempla quaedam l. s. s. p. 77 composui. Iulianum autem cum annis 680—690 floruisse certum sit, librum glossarum intra annos 690 et 750 conditum esse dixi. Cf. Manitius p. 133, quem mecum facere gaudeo.

1) Ceterum ad Vseneri verba haec nunc addita esse video (Kl. Schr. II p. 242): Geh. R. Bluhme schreibt mir: 'Anseleubana kommt vor a. 520 bei Mabillon de re dipl. und a. 543 bei Pardessus, diplomata nr. 140'; vgl. Förstemann col. 848.

De codicibus libri glossarum in libello meo de 'libro glossarum scripto' (cf. p. 104) uberius, brevius in praef. vol. V p. XX sqq. disputavi; mea ex hoc libro excerpta pro fundamento habere vetustissimum librum Parisinum 11529. 11530 etiam in eis quae infra afferam denuo monitum esse volo. — Qua in parte terrae 'liber glossarum' ortus sit, certe dici nequit. Ad quam quaestionem expediendam duplex via patet, ut aut ab eis quae continentur proficiscamur aut ab arte palaeographica. Illam viam quam priore loco commemoravi ipse olim ingressus exposui quantam partem Hispanienses scriptores et res habere viderentur; inter scriptores esse praeter Isidorum velut Orosium et Iulianum Toletanum; de Hispania agi capite copiosissimo (ex Orosio, Solino, Isidoro excerpto); permultos locos Hispaniae commemorari (ex Isidoro, Orosio, Eutropio); de Gotis disputari diligentissime (ex Isidoro et Orosio); Placidi glossarum exemplar tale adhibitum esse quale ex monasterio Hispaniensi Sancti Sebastiani vel Sancti Dominici abbatae Silensis (Silos) noverimus (cf. V praef. XI et XII). Quibus argumentis aliud adiecit Mommsen (V praef. XX adn.; cf. *Chronic. min.* II p. 265) qui tractatum de Gotis monet ex tali recensione Isidori desumptum esse quae numquam Pyrenaeos superaverit. Vnde in Hispania ortum esse lexicon conieci l. s. s. p. 77 (= 287); v. praef. V p. XX. Cf. L. Traube 'Vorles. u. Abh.' II p. 167. Sed nuper Lindsay epistulis ad me datis ex indiciis palaeographicis potius Galliam meridionalem patriam libri esse maluit: quae argumenta qualia sint spero virum doctissimum de Isidoro et glossis bene meritum mox accuratius expositurum esse. Nunc enim has quaestiones mitto, ad lexi virtutem et auctoritatem tandem aliquando ut perveniam.

§ 31. Principale libri glossarum fundamentum esse Isidori Etymologias extra omnem dubitationem positum esse moneo. Cuius libri singuli loci exscripti, ad ordinem litterarum digesti, per totum lexicon dispersi inveniuntur. Fons in margine indicari solet sic: *esidori*, *esydori*, *ysidori*, pro quibus formis etiam per compendia varia auctor designatur. Etiam pleniore ratione usus est sive qui composuit sive qui transcripsit, ut '*Esidori ex libris ethimologiarum*' in fol. 27^a codicis Parisini vetustissimi; item in fol. 26^a (Apes). Aliquoties legitur '*Etymologiarum*' omisso Isidori nomine. De ratione qua cohaeret scriptura libri glossarum cum ceteris Isidori libris pauca monui l. s. s. p. 47 (= 257); accuratius quaesivit Anspach, cuius de hac re disputationem nondum editam esse doleo.

Praeter Etymologias etiam liber de rerum natura exscriptus est, unde venerunt tractatus de *elementis mundi*, cui nonnulla ex Etymologiis adnexa sunt, item de *Aetna*, ut alia mittam. Verba quae exscripta

sunt cum Beckeri editione conferenti mihi textus prope accedere visus est ad codicem Bambergensem A. Tertio loco liber officiorum commemoretur, unde fluxit tractatus *Epiphaniorum diem* in fol. 104 cod. Paris. = Arev. VI p. 393. Ex eodem libro tractatus de *Ecclesia* petitus, nisi quod is cum Etymologiis contaminatus est. '*Esidori ex libri de ortu et obitu patrum*' in fol. 28^r legitur (sub *Arbelocus*). Praeterea multae Isidori differentiae in librum glossarum transierunt, de quibus diligenter disputavit Hagen Anecd. Helv. p. CXXIV sqq.: quae differentiae non semper certe dignosci possunt ab alia collectione, cuius haud pauca fragmenta exstant. De quibus idem Hagen p. CXXXII egit, quamvis quae exposuit in dubitationem vocari possint: qua de quaestione futuri editoris iudicium exspectamus. Haud paucis locis praescriptum est '*ex libro arcium*', velut capiti *Gimnica*. In fol. 14^r ante *Forum* legitur '*Esido ex lib. artium*'. Ante *Saffica* exstat *Esidori* et ante sequens *Safficum*: *Item ipsius ex lib artium*. Similiter ante *Sarcophagus* est '*Item ipsius ex libro artium*' praecedente Isidoro. Addo locos quoscumque sic notatos inveni: 1. in fol. 19^r (*ex libro arcium*): *Amomum frutex itirsi botruosum nascitur in armenia et cinnamomi virtute similis conprobatu denique miscitur inrecomparativis anditotis odores etiam bonos somnos suavificat* (sequitur: *Esidori Amomum* e. q. s. ex Etym. XVII 8, 11; quae verba similia esse moneo). — 2. *ex libro arcium*. *Anadiplosis est iteratio verborum ducte dicta veniam parracide*. — 3. in fol. 14^a (*esido ex lib. artium*): *Forum est locus conventui pro exercendis litibus derelictis* (similia exstant apud Isid. XVIII 15, 1). — 4. in fol. 24^a (*ex lib. artium*): *Gimnica sunt velocitas ac virium gloria unde et locus ipse gymnasium vocatur ubi exercentur athletae et cursorum velocitas conprobatu. Gimnica autem certamina tribus generibus constat. Quorum alia levia alia gravia alia mixta. levia sunt quae velocitate sola transiguntur ut cursorum et hominum. gravia quae labore et quasi pondere corporis ut lutatorum promiscua quibus saltu pondere iaculoque contenditur ut pentalorum. Gymnicos autem aliquantos perpetuam veneris abstinentioniam fuisse professos ne virtutem libidine frangerent* (praecedunt Isidori verba *Esidori Gimnicus* . . . *contendere* ex Etym. XVIII 17; 18, quorum tantum quae initio leguntur similia sunt). — 5. *ex lib artium*. *Hispanae gemmae repperiuntur in littoribus hispaniensis oceani colore rubentes igneo adque perlucide* (post Isidori). — 6. in fol. 49^r: *ex artium*. *Istesicorium. constat mentam et rocata lectio ut carmina tanta vertant mea pangere dicta*. — 7. in fol. 126^r: *de arcium*. *Perifrasis circumloquium vel circuitio* (cf. Isid. I 36, 15). — 8. Post *Esidori Saffica* in fol. 174^a: *item ipsius ex libro artium*: *Safficum pentametrum constat ex trocheo et spondio dactilo et duobus troceis sive trocheo et spondio ut est illud Xpe lux mundi salus et potestas huic autem metro*

postres versus additur cimis troici versus ut est illud sidere pinguis. — 9. in fol. 175^r post Esidori: item ipsius ex libro artium: Saltus vasta et silvestria loca sive itinera angusta et quasi abscisa inter montes hac similia faucibus de quibus propheta in salto inquit ad vesperum dormietis et agromius qua salto et qua semita occurrat obuius (cf. Isid. XIV 8, 25: saltus sunt vasta et silvestria loca ubi arbores exiliunt in altum). — 10. in fol. 177^r post Esidori: item ipsius ex libro artium. Sarcophagus lapis in troeade fissili vena nascitur corpora defunctorum condita in eo infra XL dies adsumi exceptis dentibus unde et nuncupatur sarcma enim caro phagius comedere dicitur grece vestes quoque et calciamenta inlata mortuis lapidea fieri mucianus autor adfirmat sunt et eiusdem generis in oriente saxaque viventibus alligata erodunt corpora mitigres aut servandis corporibus nec adsumentes (cf. Isid. XVI 4, 15; sed verba multo Isidoro doctiora sunt: cf. Plin. N. H. XXXVI 131). — 11. post Isidori: ex libro artium. Tibias alii amine sua inventas esse dixerunt alii eas excogitatas in frigia ferunt damon autem primus tibiae contendit et diu quidem funebribus solisa debitas mox et seris gentilium (cf. Isid. III 21, 4; quamquam eius verba haud leviter discrepant). — 12. post deglosis: ex libro artium. Vesperus stella est noctem ducens et solem sequens (sequitur ex libro de natura rerum: Vesperus stella occidentalis noctem inducens hic solem occidentem sequitur et tenebras succedentes praecedat). In quibus uno vel altero loco in fontis indicio errorem esse posse non est cur negemus: sed plurimis eundem fontem subesse, scilicet Isidori librum artium aliquem, certum esse putaverim. Sed noli suspicari ex Originibus haec ut sint fluxisse: immo particulae plerumque hinc videntur provenisse, sed iis quaedam aliunde adiecta esse. Quin talis liber olim exstiterit Isidoro adscriptus a quoquo compositum vel contaminatione confectum eum esse dicemus vix posse in dubium vocari censeo.

Vt autem in his Isidori verba cum aliunde petitis conglutinata sunt, ita saepius hoc factum esse velut huic exemplo credas: Esidori. Teatri autem auctores exhistimantur athenienses. primi enim ipsi theatrum construxerunt sedilibus ligneis postea lapideum. theatrum romae primum a romanis censoribus factum anno post romam conditam quadragesimo quinto. theatrum autem primum rotundum erat sicut et amphitheatrum. postea ex medio amphiteatro theatrum factum est collatis cum Isid. XVIII 42. Idem valet de his: Ypocentauris species vocabulum indidit idest hominem equo mixtum. sed palefatus in libro primo dicit quod cum lapide et thessali famosissimum certavissent confluctibus tunc eosdem thesalos a lapitis creditos dictosque fuisse ypo centauros eo quod discurrentes in bello equites veluti unum corpus equorum et hominum videretur (cf. Isid. I 40, 5). Adde porro tractatum de pila Etym. XVIII 69 et fragmentum editum a Gun-

dermanno Mus. Rhen. vol. XLI a. 1886 p. 634. Denique noli neglegere etiam cum Iuliano Toletano copias Isidori conflatas in librum glossarum intrasse, quo de cf. quae p. 107 exposuimus.

§ 32. Post Isidorum qui quasi fundamento fuit libro glossarum Augustinum commemoro, cui multa excerpta debentur (*Beati augustini episcopi* in fol. 88 vol. I exstat, aliis locis *augustini*, *agustini* et compendia multigenera). Ex cuius libris inprimis qui inscribitur 'de civitate dei' frequentissime adscitum esse moneo (*agustini ex libris de civitate dei* ante tractatum de *Amfione* legitur). Sub *Diomedem* hoc est: *Diomedem pagani deum fecerunt. hunc varro sive alii adstruunt poena divinitus inrogata perhibent ad suos non revertisse eiusque socios* e. q. s. (= II p. 276 Domb.: *nam et Diomedem fecerunt deum, quem poena divinitus inrogata perhibent ad suos non revertisse; eiusque socios* e. q. s.). Quae qui excerptis eum non fugerat in proximo capite haec exstare: *hoc varro ut astruat, unde pro quem . . . perhibent maluit hunc varro sive alii adstruunt* e. q. s. inserere. In fine adiecit: *sed hoc poetae fingunt*. Etiam Augustini frustula cum locis Isidori coniuncta esse ex exemplo discas quod in fol. 24 vol. II exstat: *Isidori ex lib. ethimologr̃ et augustini ex lib. de ciuitate dei Gygantes* e. q. s. Ex reliquis libris Augustini adscitos inveni hosce: Sub *Sacrificium* est: '*lib̃ enchiridion beati agustini*'; sub *Auaritia* '*commentarii in psalmos*' (IV p. 1530 Migne); sub *Ammon* '*commentarii in pentateuchum*' (III p. 818 Migne); sub *Campestria* '*liber de nuptiis et concupiscentia*' (X p. 467 Migne); sub *Anus* '*Augustini ex lib̃ de geñ ad litteram*'; sub *Arbitrium* '*Agustini ex lib̃ hypomnesticon*'; sub *Sculptilia* '*Aug̃s in decadis*'; sub *Ianuarius* '*omelia agustini*'. His adde ex Hageni coniectura (Bursiani '*Jahresbericht*' 1876 p. 347) *Agniti* sub *Cecrops* (*Cecrops regnavit in Attica tunc nomine minerve que grece athena dicitur attici athenienses vocati sunt hic enim cecrops primum omnium iovem deum appellavit simulacra repperit aram statuit victimas immolavit nequaquam istius modi rebus in grecia visis*. Cf. de civit. dei II p. 266 Domb.: . . . iam tamen *Minerva* tamquam dea colebatur regnante *Athenensibus Cecrope*, sub quo rege etiam ipsam vel instauratam ferunt vel conditam civitatem. Nam ut *Athenae* vocarentur quod certe nomen a *Minerva* est, quae graece 'Αθηνᾶ dicitur, hanc causam *Varro* indicat: quae verba misere habita et contracta sunt, antequam in librum glossarum venirent. Cf. Isid. VIII 11, 9).

Tertius his accedit *Ambrosius* (*Ambrosi episcopi*, *Ambrosi* cum variis compendiis), cuius *Hexaameron* inter primarios libri glossarum fontes habetur (*Ambrosi ex libro exameron*, *ambro ex libri exam̃er* vel similiter). Loci haud pauci quos examinavi accurate cum eis conveniunt quae apud Mignium leguntur, nisi quod initia mutata sunt, velut *Accipiter*

(V 18), *Aelementa mundi* (I 6). Saepius Ambrosiana verba cum locis Isidori coniuncta sunt, quibus praecedunt; non raro contaminata sunt cum aliis, ut tractatus '*Caelum*'. In tractatu *Caete marina* ex Physiologo quaedam adnexa sunt, id quod diserte indicatur. Verba de asino graviter mutata sunt; sub *Conium* contaminata sunt III 9, 38 et 39. Praeter *hexaameron* etiam *Expositio in Lucam* invenitur, ut sub *Armonia* (VIII 3 Migne). — Ex Hieronymo maxime *Quaestiones hebraicae in Genesin* adscitae esse videntur, ita sub *Ader* II p. 538 editionis Benedictinorum, sub *Abram* II p. 522. Praeterea commemorantur *Hiero in esai exposito*, *Hiero in ezechielis exposito*, *Hieron inec ob asten*. — Adhibiti sunt etiam Dialogi et Moralia Gregorii Magni, illi velut sub *Infernum* (*Gregori ex libro dealigorum*), haec sub *Sardinicus* (*Gregori ex libris moralibus*). Cf. Maius Class. Auct. VI p. 594.

Praeter eos quos attuli ecclesiae doctores magnos invenitur Eucherius, cuius *Instructiones* saepius occurrunt, velut *Lamia in esaia ienus monstri* e. q. s. (*Euchriae*), sub *Obulus* (*Euceri ex lib. astrutionum*). Aliis locis est *Eucheri* vel *Euceri*. Eucherii glossae spiritales in librum glossarum non venerunt. — Aliquoties Fulgentius exscriptus est, velut *Diacanson id est frequenter surgentes et sedentes inpolite*, *Duleusis* (cf. Maius Class. Auct. VI p. 590), *Idolatria*, *Ministrare*. — Iunilius qui circa a. 550 auctore Primasio episcopo *instituta regularia divinae legis composuit*, occurrit sub *Predictio*, *Prophetia*, *Proverbiales*, *Thypus*, *Voluntas*. — Clementis tractatui de '*Mare*' praemittitur ex Isidori libro de Nat. rer. hausto, ubi Clemens *episcopus* auctor esse dicitur. — *Ylari ex libi de litteris* ante glossas *Certus sine fraude fidelis* et *Chreston bonum est*, quod ad Hilarii urbis Pictaviorum Aquitanicae episcopi *libros contra Dioscurum medicum* l. s. s. p. 53 (= 263) rettuli, quamquam dubitanter (cf. Loewe Prodr. p. XII). Aliquoties *Sarapionis* praescribitur, velut ante *Acidia tedium animi*. Non ita paucis locis *Origenes* praemittitur vel *Origines in leviticum*, *Origines in iosue*. Duos locos lubet exscribere (cf. Maius Cl. Auct. VI p. 597 sq.): *Origenis. Butyrum ex animalium lacte colligitur quamquam autem sit lactis natura tamen iam pinguior et crassior et solidior materia est. Quod tamen aut frequenti agitatione aut concussione assidua cohibet in se atque solidatur. Denique cum fit serum de lacte separatur et oleum debetur efficitur*. Qui locus contaminatus est ex Pseudorig. II p. 19, 10 et 19, 24. Alter locus est: *Origines. Coccum grece nos rubrum seu vermiculum dicimus quamquam autem una sit coci et purpore materia idest lana magna tamen distancia est inter coccum et purporam. nec enim purpura tale lumen inluminata ut tanto splendore prevalet licet ruborem et ipsa commodet sed si cocci muricem sublebes relucet elebat fulget et cum sit ut dixi una materia id*

est lana tamen ut hec pulcerrima de colore ita et illa de nitore sublimior.

Ad eos quos dixi auctores Orosius et Europius accedunt. Orosius (*orosi* vel *horosi*, *orosi prbi*, *horosi ex libro historiarum*, *paborisi presbiteri*, *eresi*, *pauli*) inprimis in rebus geographicis, sed etiam in historicis adhibetur; loci partim ad verbum expressi, partim ad lexicum usum mutati sunt, modo etiam contaminati. Quoscumque locos cum Zangemeisteri editione conferre potui, aut non discedunt aut ita, ut ad contextum constituendum nihil inde lucremur.—Similiter de locis ex Eutropio desumptis iudicabimus (*Eutropi*, *Euthropi*). Loci mutati tales sunt, ut *Actius locus aegypti est* = Eutr. VII 7: *Apud Actium qui locus in Epiro est ex qua fugit in Aegyptum*; *Algidus mons est ab urbe duodecim fere miliaria* = Eutr. I 17: *sequenti tamen anno cum in Algido monte ab urbe duodecimo ferme miliario Romanus obsideretur exercitus e. q. s.* Eutropio adscribitur locus hic: *Auentinus mons in urbe roma uocatus ab auentino albanorum rege eo quod esset prostratus in bello et sepultus in eo monte. alii sane uolucrunt eum in prohelio esse occisum sed non comparuisse dixerunt. nec ex eius uocabulo appellatum mentem sed ex aduentum auium dictum auentinum.* Glossa est ad Aen. VII 657 pertinens; cf. Serv. ad hunc locum. — Etiam Solini (Sulini) liber in tractatu de Hispania qui exstat excerptus est una cum Orosio; cf. p. 115, 19 sqq. ed. Mommsen.

In rebus medicinalibus sex diversi fontes inveniuntur: 1. Isidorus qui magnam partem libri IV ex Caelio Aureliano desumpsit; 2. Galenus (cf. Maius Class. Auct. VI p. 591; multa quae Galeno adscribuntur, in Dynamidiis exstant quae Maius Auct. Cl. VII publici iuris fecit; cf. V. Rose Anecd. Gr. et Graecolat. II p. 110 sqq., Haeser Gesch. d. Med.³ I p. 622); 3. Hippocrates (*yppocratis* vel *epocratis* cum variis compendiis; etiam huius modi loci in Dynamidiis occurrunt; cf. Maius Class. Auct. VI p. 595 sq.); 4. Pandecti medici (*Pādecki medici* II fol. 71^r cod. Paris.; cf. Maius Class. Auct. VI p. 589); 5. Libri medicinales (*ex libris medicinalibus*; II fol. 193ⁿ supra adscriptum est M, quod etiam alibi non semel invenitur et indicare videtur locum ad 'medicinam' pertinere: ex his locis nonnullos excerpit et edidit Maius Class. Auct. VI p. 582 sqq.); 6. Oxea Patici (uno loco, II fol. 243ⁿ ante *Ydrofobicon passio est periculosa*; Caelii Aureliani librum 'de acutis passionibus' contulit V. Rose; G. Becker Cat. ant. 114, 85 (S. Amand): 'liber oxipate in intelligentia ex qua omnes egritudines desiderantur'. Quid sit compendium Aid II fol. 74^r ante *Malaxatus maxillatus aut certe subactus me fugit.*

'Ex regula Prisciani gramm.' praemittitur tractatui *Vocis differentiae sunt quattuor. articulata inarticulata et inlittera . . . sicut dux a du-*

cendo (Gr. lat. II p. 5, 5—6, 5). Praecedit tractatus '*ex regula uoce gramma*' (ita cod. Cambrac.; in Parisino fontis indicium legi nequit; cod. Vindocinensis habet *ex regula foce gramma*, item cod. Ambrosianus teste Loewio Prodr. p. XII praef.); verba (quibuscum cf. Diomedes p. 420) sunt haec: *Vox est spiritus tenuis auditus insibilis (= auditu sensibilis). fit autem uel exilis aëris pulsu uel uerberati aeris ictu. igitur interpretatiua uox dicta est et erit scripturalis sonus uel inscripturalis. uox autem dicta ΠΑΡΤΗΝΝΗΝ. grece nominata uel latine ab eloquio. idcirco uox appellata quod uoluntate ter animi enuntiat sunt qui uocis officia tria designant eloquium tinnitum sonum. eloquium est humane pronuntiationis expressas significatio. faciem sensibus exhibens intellectum. sonus est corporalis collisio repentinum auribus inferens fragorem. tinnitus est fabricate materiae inlisio tenui sono auditionem hac sensum prestans. unde non immerito eloquium hominum tinnitum inmolabile sonitum corporalium plerique testantur. nam uocem tam mutorum animalium quam hominum est esse declarantes sic efferunt (secuntur uoces animalium quas supra exhibui). — Audaces exstat I fol. 10, Vidacis I fol. 100^r; cf. Hagen An. Helv. p. XXXIV et Keil Gr. L. VII p. 315 sq. — Paulus Abbas (cf. Maius Cl. auct. VI p. 598 sq.) interdum per *Pauli* indicatur, quod nomen interdum Orosium significare fugit Hagenum Anecd. Helv. p. CXXXVII. Exempla ex litteris A—E ex codice Bernensi partim ex Maio partim ex fragmento Einsidlensi idem composuit. De tractatu qui est de orthographia Hagen p. CXXXV sq. et Vsener Mus. Rhen. vol. XXIV p. 109 egerunt. Excerpta ex '*Physiologo*', quorum partem edidit Mai Auct. Class. VII p. 589 sqq., Cahierium (Mélanges d'archéologie II—IV) tractauisse Lauchert (Gesch. der Physiol., Straßb. 1889 p. 89) testatus est. Synonyma Ciceronis eiusdemque differentias p. 80 et 90 attigimus.*

Inter fontis indicia frequentissima nota *Vergili* est (*Vergili*, *uirgti*, *uirgit*, *uirgi*, *uirg*, *uir* etc.): glossae sic significatae plerumque simplices et triviales sunt, ut *ab origine ab exordio*, *ab rupe e scopulo*, *absumere conficere insumere*, de quibus non est cur multa verba faciamus. Quomodo cum glossis Vergilianis IV p. 427 sqq. editis cohaereant aut non cohaereant, infra exponetur. Frequentissimae sunt glossae duplices ad eandem rem spectantes, velut *Agens telis telis persequens* = *Agens telis sagittis petens* (Aen. I 191); *Aonios in montes boetiae et licaonae et cetero ubi musae morantur* = *Aonas in montes in boetia provincia et cyterona ubi poete musas aiunt morari* (Ecl. VI 65); *Ariete crebro spisso ictu arietis* = *Ariete crebro frequenti hictu arietis est autem aries macinamentum bellicum* (Aen. II 492); *Belli porte ianuae iani gemini qui bellis patent in pace clauduntur* = *Belli porte ianuae Iani gemini templum dicit quod bello*

aperitur pace clausum est (Aen. I 294); *Cornibus arboreis qm̄ in modum arborum ceruorum cornua deponunt* = *Cornibus arboreis quod in modum arborum ceruorum cornua ramosa sint* (Aen. I 190); *Errantem lunam aut incertam aut ideo ait errantem quia inter planccas habetur* = *Errantem lunam qui inter planetas a quibusdam habetur* (Aen. I 742). Quae glossae geminae per totum glossarium pertinentes ex duplici scholiorum ordine excerptae sunt similium inter se et eiusdem prosapiae, sed diversae recensiois. Has glossas Vergilii nomine insignes edidit Hagen ex codice Bernensi (Appendix Serviana p. 451 sqq.): qui codex cum ad litteras A—E tantum spectet, editor miro modo ceteras litteras neglexit: quod qua ratione fecerit non assequor. Quas glossas qui perlustraverit, etiam aliunde quaedam addita esse facile intelleget. Velut non uno loco synonyma confusa sunt cum Vergilianis glossis, ut A 468 Hag. (*Ante omnes*), A 625 Hag. (*Assidue*), C 193 Hag. (*Circum*), C 441—443 Hag. (*Corruptor, Corruptus, Corruptum*), C 480 Hag. (*Criminosum*; in Paris. recte *Cicero* praemittitur); E 135 Hag. (*Euasit*; in Paris. deest *Vergilii* nota). Aliquoties glossae contaminatae sunt, ut *Biricuncia mater dñi augustus cesar diuigenus cesarem octavianum significat cui oblatum est si uellet romulus dici. sed ille augustus potius nomen maluit* (B 56 Hag.); cf. Aen. VI 784 et 792. Quae contaminatio unde venerit intelleges, si glossas iuxta positas sumes; contaminata demum glossa sic inserta est. Itaque ex scholiis hae glossae haustae sunt, quae postea demum glossarum formam induerunt. In universum dicendum videtur, satis trivialia esse haec scholia; certe cum Servianis quae affinitate quadam nexa sint non multa inveni. Praeter ea quae Hagen edidit alia quaedam l. s. s. p. 268 sqq. (58 sqq.) excerpti, quae cur hoc loco iterem non esse existimo.

§ 33. Nunc demum ad materiam glossematicam venio, quae in magno libro insignem locum obtinet et maxime notabilem: plura enim glossaria vetustiora recepta sunt, in quorum numero Placidi glossas egregiam auctoritatem habere ex eis discas quae l. s. s. p. 59 sqq. (= 269 sqq.), inprimis autem V praef. XIII sqq. exposui, quibus quae nunc addam non habeo. Quorum summam hanc esse dixi: 'Forma glossarum quae est in magno lexico non modo vetustate, verum etiam bonitate saepissime libros Romanos vincit... Vbi liber glossarum cum codicibus Romanis concinit, eam formam nacti sumus quam homines ante septimum saeculum legerunt'. Quae cum ita sint, libri glossarum glossas Placideas p. 43 sqq. accurate exhibendas esse censui. Quali fonte usus sit qui magnum lexicon consarcinavit ibidem p. XI sqq. demonstravisse mihi videor: nimirum cohaeret ille fons artissime cum codice Parisino nov. acquis. 1298 saec. XI, quem Gundermann feliciter in lucem protraxit.

De ceteris glossariis quae in magnum librum recepta sunt difficilior quaestio est. De quibus haec verba olim fecit Wilmanns Mus. Rhen. vol. XXIV p. 376: 'Nach dem Placidus verdient am meisten das alte so oft mit *de glossis* angeführte Glossar wieder zusammengestellt zu werden, und eine Ausgabe, die diese beiden Glossare vereinigt und anhangsweise die Stücke gibt, welche sonst durch Inhalt und Verfasser wichtig sind, würde den wissenschaftlichen Gehalt dieses großen Wörterbuchs erschöpfen.' Quae verba si sequimur, glossas quae post notam *de glossis* praefixam leguntur ex uno atque eodem vetustissimo promptuario haustas esse putabimus. Quem contra Vseneri ibidem XXIV p. 383 censuit satis magnum esse numerum parvulorum glossariorum (in epistula ad Loewium data 10—12 voluit fuisse), quorum vestigia etiam nunc conspicua essent; velut duo glossaria Bernensia de quibus cf. Mus. Rhen. XXIII p. 223 sq. Cum Vsenero facit Loewe Prodr. p. 223, cum Hagen in censura Prodr. (Bursiani ann. a. 1876 p. 347) censeat quaestionem hanc nondum esse expeditam. De qua re repetenda puto quae l. s. s. p. 275 sq. (p. 65) exposui: "Im ersten Teile seines Buches glaubte Loewe (S. 104) das Abavusglossar in dem *liber glossarum* nachweisen zu können, hat aber die Unrichtigkeit dieser Ansicht später selber erkannt; vgl. praef. p. XII. Über die 'glossae affatim' hatte sich Loewe nicht bestimmt ausgesprochen; er neigte aber zu der Ansicht, daß nur der eine Bestandteil dieser Glossen Aufnahme gefunden habe. Letzteres ist sicher richtig: es sind die *glossae abstrusa*, von denen bereits die Rede war. Vgl. Corp. gloss. vol. IV praef. p. XXIX. Ebendarauf beruht die Beziehung zwischen dem *liber glossarum* und dem Vatic. 3321 nebst verwandten Glossaren. Damit wäre wenigstens ein Spezialglossar, das Aufnahme gefunden hat, nachgewiesen. Ich kann es sehr wohl verstehen, wie Usener dazu gelangt ist, 10—12 Quellenglossare anzunehmen. Wenn beispielsweise *Agmine*, *Censura*, *Demens* je 8 mal erklärt sind, also je 8 verschiedene Glossen bilden, *Alioquin*, *Communis*, *Dissonum* je 9 mal, *Arces* sogar 10 mal, so liegt es nahe, eine entsprechende Anzahl von Quellenglossaren vorauszusetzen. Eine genaue Berechnung läßt sich freilich auf solche Reihen nicht gründen, da ja auch die Quellenglossare dasselbe Lemma mehrfach gehabt haben können. Immerhin wird man zugeben, daß eine erhebliche Anzahl kleinerer Glossare zugrunde liegen. Ich habe nun die mir bekannten Glossare mit dem *liber glossarum* verglichen. Es fehlt natürlich nicht an Beziehungen und Ähnlichkeiten; aber es ist mir bei keinem einzigen außer dem oben genannten gelungen zu beweisen, daß es in das große Werk herübergenommen sei. Es ist das auch ganz natürlich. Erstens ist es von vornherein gar nicht nötig vorauszusetzen, daß gerade eines der vorhandenen Glossare darin ent-

halten sei: gab es doch außer den zufällig noch vorhandenen sicher noch viele andere Glossare in den verschiedenen Zentren wissenschaftlicher Arbeit. Sodann aber ist der Nachweis, daß grade dieses oder jenes Glossar ausgebeutet sei, überhaupt sehr schwer; es braucht ja aus den einzelnen Quellen nicht alles herübergenommen zu sein. Da nun im *liber glossarum* die alphabetische Ordnung genau durchgeführt ist, so ist oft jedes Mittel für die Entscheidung einer solchen Frage entzogen. Sicher aber ist es, daß wenigstens ein Teil der Quellenglossare uns nicht mehr erhalten ist; mithin ist für eine Anzahl wichtiger Glossen der *liber glossarum* unsere vornehmste oder auch einzige Quelle. Die beste Art, diese Quelle auszubeuten, ist ohne Zweifel die, daß alle bemerkenswerten und wichtigen Glossen excerpiert und in alphabetischer Folge ediert werden. Auf den Zusammenhang, in dem die Glossen sich jetzt befinden, ist dabei durchaus kein Gewicht zu legen, da der ursprüngliche Zusammenhang, der unter Umständen von großem Werte hätte sein können, doch unwiederbringlich verloren ist.“ Quae cum olim exposuissem, excerpta ex libro glossarum quinti voluminis p. 161—225 exhibui, alia in Thesauro glossarum emendatorum adieci. Ex quibus libris profectus sim praef. p. XXsq. dixi. Ex his glossis non ita paucas ad Donati commentarios Vergilianos pertinere l. s. s. p. 66 sqq. (= 276 sqq.) docui ex parte post Vsenerum qui Mus. Rhen. vol. XXIII p. 496 eandem quaestionem tractaverat; cf. nunc in Thesauro gl. lemmata haec: *capella*, *Celeus*, *coctus*, *denum*, *Eurus*, *Gryphes*, *infandum nota csse aduerbium ut Donatus dicit* (V 212, 2; quae glossa nescio quo casu in thes. gl. omissa est), *Lucifer*, *Notios*, *obsum*, *Panchaia*, *serius*, *traha*, *trudo*, *uterus*. Vide de his Lammert (de Hieronymo Donati discipulo) p. 26, Ender Aelii Donati comm. Verg. rel. p. 21 sq. His locis quibus Donatus nominatur alia adieci quae eidem grammatico tribui possunt, velut quaedam ex Vergilii vita Donati; cf. lemmata *lenocinium*, *toga*, *fungor*, *Cebetem*, *Andes*; adde lemmata *proceres*, *pistris* (*pistris*), *cauerna*, *consulo* (*consulere*), *hibernus*, *mandatum credat*, *sibila ora*, *uannus*, quae quamquam auctor non nominatur Donato tribui posse conieci. Haec et alia eiusmodi cuius interest nosse legat quae l. s. s. p. 69 sqq. (= 279 sqq.) proposui. Talia quae insunt in excerpto libro glossarum acerrimo studio indagare conatus sum, quamquam in tanta glossarum multitudine me nihil effugisse affirmare non audeo. Quantam autem liber glossarum inde a nono saeculo in hoc litterarum genere auctoritatem habuerit, infra accuratius demonstrabitur. Redeo nunc ad vetustiora glossaria quae quarto volumine complexus sum.

CAPVT XII. DE GLOSSARIIS CODICVM VATICANI 3321 ET SANGALLENSIS

§ 34. Cod. Vaticanus 3321 septimi saeculi, cuius scripturam accurate exhibui vol. IV p. 3—198, duo continet glossaria ita contaminata, ut quid alterius utrius sit facile dignoscatur; prius enim horum glossariorum in codicibus haud paucis non contaminatum exstat: unde uncis quae cod. 3321 peculiariora habet a ceteris distinxi. Ab his igitur glossis peculiaribus nunc disputatio nostra profisciscatur; de glossis quae ab *Abstrusa* incipiunt proxima paragrapho disseretur. De glossis huius libri in universum conferenda sunt quae Mai Class. auct. t. VI (a. 1834) p. VII, Wilmanns Mus. Rhen. t. XXIV (a. 1869) p. 381, Loewe Prodr. p. 143 sqq., nos praef. IV p. VII sqq., 'Berichte der S. Ges. d. W. 1888' p. 231, Ind. Ien. a. 1889. 1890 p. VII, H. Gnuég, de glossis Terentianis codicis Vatic. 3321 (ed. Ienae a. 1903) exposuimus.

Libri vetustissimi materiem glossematicam triplicem esse facile ostendi potest: longe maior glossarum pars fluxisse videtur e Vergilio et Terentio, quibus alia quaedam inserta sunt de quibus infra agetur. Vergilii et Terentii quae sunt maiore confidentia ad fontes suos revocari licet propterea, quod integrae glossarum series constitui possunt, modo Vergilii, modo Terentii, modo ex utroque fonte permixtae. Ordinum Vergilianorum hoc exemplum profero (p. 45, 43—46, 18): 45, 43 *coturno genus cāminenti vel spiritu grandi* = Ecl. 8, 10; 44 *conuellere auellere siue abstrahere* = Aen. III 24; 45 *cohibet continet uel retinet* = Aen. III 424; 46 *confunditur miscetur* = Aen. III 696; 47 *conlapsa cadentia* = Aen. IV 391; 48 *consedete sedcte* = Aen. IV 573 (*considite*); 49 *congerere construere* = Aen. VI 178; 50 *congeritur conportatur* = Aen. II 766; 51 *conduntur seruantur* = Aen. VII 303 (II 401); 46, 1 *corripiunt adprehendunt* = Aen. I 363; 2 *chorus multitudo* = Aen. V 240 (Georg. IV 460 al.); 3 *constituit fixit* = Aen. V 130 (XI 6); 4 *confluere conruere* = Georg. IV 558; 5 *compellare adloquere interpellare* = Aen. II 280 (III 299; VIII 164); 6 *confligunt contendunt* = Aen. II 417; 7 *conuoluens inuoluens* = Georg. III 426; 8 *coruscae fulminis coruscantis* = Aen. II 172; 10 *coniux maritus a coniunctione* = Aen. I 343; 11 *commota concitata* = Aen. I 360 (V 213); 12 *corrupere (= corripuere) inuasere* = Aen. I 418; 13 *collem editum <locum> montem altum* = Aen. I 419; 14 *coloni incolae uel habitantes* = Aen. I 12; 15 *conuectantes conportantes* (aliunde illatum; om. a.); 16 *conuectare conportare* = Aen. VII 749; 17 *contemplatur speculatur* (*contemplator* est Georg. I 187; IV 61); 18 *coge in unum collige* = Ecl. III 20. In qua serie quamvis non omnes glossae ita ad fontem

revocari liceat, ut nulla sit dubitatio, de universa tamen re satis constat. Addo alteram seriem (Gnueg p. 10): 100, 33 *incessi inuasi* = Aen. XII 596; (34 *inertia affectus uel laesus corrupta*; cf. Aen. IX 55); (35 *innuba uirgo hoc est innubata*); 36 *inhalantes perolentes* (cf. Georg. IV 109, ubi *halantes*); 37 *inhumata insepulta* = Aen. VI 325; 38 *incasum sine causa* = Aen. III 345; 39 *inane superfluum* = Aen. IV 433?; 40 *interluit perfundit* = Aen. III 419; 41 *in abruptum in profundum* = Aen. III 422 (cf. XII 687); 42 *infabricata incomposita* = Aen. IV 400; 43 *ingeminant iterant* = Aen. I 747; 44 *ingeminans iterato uocans* = Aen. II 770; 45 *incendit excitauit* = Aen. IV 197; 46 *inualidus uitiosus* = Aen. VI 114; 47 *instaurare renouare* (cf. Aen. VII 146); 48 *incudis massa ferri librata* (cf. Aen. VII 629); 49 *inopina insperata uel improvisa* = Aen. VIII 476 (V 857); 50 *inexpletus insatiabilis* = Aen. VIII 559; 51 *indulgere operam dare* = Aen. IX 615 (II 776; cf. Serv.); 52 *inglorius non pugnanſ* = Aen. XI 793; 53 *innabant natabant* = Aen. X 222; 54 *innocuae inlaesae* = Aen. X 302; (55 *inextricabile inexplicabile*?); 101, 1 *indiscreta non separata* = Aen. X 392; 2 *ingrauat exaggerat* = Aen. XI 220; 3 *inpellite prouocate* = Aen. XI 278; (4 *industrios prouisores*?); 5 *infecunda sterilis* = Georg. II 48?; 6 *incondita incomposita uel inordinata* = Ecl. II 4; 7 *incommune inmedio*?; 8 *inprouida sine prouidentia* = Aen. II 200; 9 *ineluctabile quod non euaditur* = Aen. VIII 334; 10 *inruimus cum impetu inuadimus* = Aen. II 383 (III 222); 11 *induitur operitur* = Aen. VII 640; 12 *inuitis nolentibus* = Aen. II 402?; 13 *insidiis fraude pugnantibus siue dolosis* = Aen. II 195 (*insidiosus* scripsi, quo fortasse non opus); 14 *in occasu in interitu* = Aen. II 432; 15 *incomitata sine comitibus* = Aen. II 456; 16 *in praecipitio in alto uel in abrupto* = Aen. II 460; 17 *imbelle debile* = Aen. II 544; 18 *insertabam inserebam uel contexebam* = Aen. II 672; 19 *innoxia innocua* = Aen. II 683; 20 *inmerita indigna* = Aen. III 2?; 21 *inmemores nescii uel imprudentes* = Aen. II 244; 22 *inprouiso subito uel inuiso* = Aen. VIII 524 (XII 576); 23 *inmensam ingentem* = Aen. II 185 (VI 186); 24 *inferret iniret uel inportare* = Georg. IV 360; 25 *incute infer uel inice uel inmitte* = Aen. I 69; 26 *inde deinde* = Aen. I 275 (?); 27 *incusant querulis uocibus accusant* = Aen. I 410(?); 28 *incauta nescia uel inprouida* = Aen. IV 70 (?); 29 *induerat transfigurauerat* = Aen. VII 20; 30 *inceptum designatum* = Aen. IV 452; 31 *inhumati insepulti* = Aen. I 353; (32 *infulas uictimae*? cf. *infula uitta* Georg. III 487); 33 *intractabile inexpugnabile* = Aen. I 339; 34 *intacta integra* = Aen. XI 419; 35 *interea inter haec uel inter id* (frequentissima); 36 *incognita ignota* = Aen. XII 414; (37 *inbutus doctus*); 38 *indiget eget* = Ecl. II 71; 39 *incolumes salua dignitate* = Aen. IV 415; 40 *in uulgum in populum* = Aen. II 99; 41 *ingratam nullam gratiam relaturam* = Aen. XII

144 (?); 42 *inmota fixa perpetua* = Aen. I 257; 43 *inpiger paratus* = Aen. I 738; 44 *intente sollicite* = Aen. II 1 (?); 45 *ingens magnus* (saepissime); 46 *in utrumque in alterutrum* = Aen. II 61; 47 *inermis nudus ab armis* = Aen. II 67; (48 *inuisum numquam uisum*); 49 *inuisales* (= *Iouis ales*) *aquilae* = Aen. I 394 (XII 247); 50 *insistere instare* = Aen. VI 563; 51 *Iris arcus caelestis* = Aen. IV 700. "Cuius modi series etiam plures reperiuntur Vergilianarum glossarum; addo has paucas: IV 32. 20? 21. 22. (23 Ter. gl.) 24? — 35; 52, 41. 42? 45—53, 1; 57, 38—41; 43—50; 67, 11—42, paucis exceptis; 75, 29—39. 42; 76, 24—32; 79, 46—55; 126, 6—27; 150, 49—55; 151, 2—5; 163, 48—164, 5; 164, 44—165, 6; 169, 38—170, 1... 171, 28—46 (47?); 176, 21—36 praeter 25=27; 177, 46—178, 9; 192, 1—14. 28—51 (IV 110. 113, 24—29. 117. 118. 134. 173, 28 sqq. gl. Verg. maximus numerus obviam fit). Praeter has permultae exstant series minores atque etiam longissimae pluribus glossis alienis interruptae, quarum omnium hoc loco mentionem facere omnino non in animo est." (Gnueg p. 11 sq., qui quod 169, 51 pro *setres animos* — *ignitatos* legendum proponit *resides animos ignavos* coll. Aen. I 722, erravit). Quod quam verum sit perspexi ex schedis Gnuegianis quibus quascumque reperire potuit glossas Vergilianas sive certas sive probabiles singulari diligentia enotavit; qualia nunc satis erit paucis verbis indicasse. Quae qui reputaverit, glossarii auctorem ante oculos habuisse putabit sive Vergilii glossarium, qualia infra tractabimus, sive codicem glossematis illustratum, cuius materiem excerpsit ad ordinem litterarum idque ita, ut saepissime priscum ordinem quatenus fieri posset servaret.

Sed ut fundamentum fuerunt principale glossae Vergilianae, ita ne Terentianae quidem glossae neglegendae erunt, quarum magnam inde molem idem Gnueg l. s. s. feliciter eruit. Etiam harum glossarum continuae series exstant, quarum duo exempla proferre liceat. Prima series est in p. 42 a gl. 1—33: 1 *commeare ambulare uenire* = Heaut. 444; 2 *comparare procurare* = Heaut. 397 (?); 3 *coniecit inpulit* = Andr. 602 (?); 4 *commodiorem utiliorem* = Andr. 844; 5 *confutare confundere* = Phorm. 477 (?); 6 *contra contrario* = Phorm. 699 etc.; 7 *conperisse agnouisse* = Andr. 145; (8 *contendebant currebant festinabant uolabant aut cupiebant*); 9 *contemplare extimare* = Phorm. 210 (?); 10 *consumat expendant* = Andr. 160 (Heaut. 465); 11 *confore conuenire aut aduenturum esse* = Andr. 167; 12 *contaminare contingere* = Heaut. 17 (?); Andr. 16; 13 *conuenit concordat* = Andr. 942; 14 *conperire agnoscere* (cf. Andr. 90; 145 etc.); 15 *coniciat mittat uel persuadat* = Heaut. 292 (Hec. 842); 16 *commentum concinnatum* = Andr. 225; 17 *consulis consilium habet[n]s* = Heaut. 437; 18 *conueniam admoneam* = Andr. 227; 19 *concurrunt in*

unum ueniunt = Ad. 627 (cf. Andr. 511); 20 *communicatum consultum* = Andr. 239; 21 *coeptat incoat* = Phorm. 626; 22 *conparet provideat uel coaequet* Eun. 355 e. q. s. His alteram seriem addo in singulis vel planiorem: 69, 30 *ex sententia ex uoluntate* = Heaut. 765; 31 *excessit exiit excidit* = Hec. 347; 32 *expuit reiecit* = Eun. 406 (?); 33 *exanimatus timore percussus perturbatus* = Andr. 131; 34 *exoro te optineo te* = Andr. 901 (Eun. 185. Ad. 936); 35 *exorandus optinendus* = Andr. 167; 36 *exprompta exquisita parata* = Andr. 723; (37 *expulit eiecit*); 38 *excessis discessis discedas* = Andr. 760; 39 *exedent comedent* = Heaut. 462; 40 *ex animo libenter* = Ad. 72; 41 *excruciat consumat* = Phorm. 187; 42 *exordiar incipiam* = Hec. 362; 43 *exorere exsurgere (exurgis?)* = Hec. 213; 44 *expedit liberat exsoluet* = Phorm. 766 (?); 45 *exercitatum instructum* = Hec. 407; 46 *exigat transigat* = Hec. 490; 47 *exorta nata* = Hec. 632; 48 *ex hoc inde postea* = Andr. 268; 49 *expurgat exuet (= expurget excuset)* = Hec. 742; 50 *expetit rogat* = Hec. 727. Similes ordines idem Gnuég sibi agnovisse visus est velut hosce (p. 14 sq.): IV 9, 9. 10. 12—14; 16; 22, 35. 38. 39. 40? 41; 30, 29? 30. 31; 43, 10—26 (cf. Goetz ind. schol. Ien. 1889 de glossis 43, 13—21); quibus adde 43, 23 (Hec. 815); 43, 24 (Hec. 837). Quam seriem maximam alia — interiecto haud magno spatio — non multo minor subsequitur: 50, 28—44 (praeter gl. 30. 33: sed cf. Phorm. 910—38. 41. 43). Aliae minores vel potius minimae gl. Ter. series inveniuntur: 57, 53. 54; 58, 2. 3; 62, 33—35; 71, 47. 49. 51—54; 79, 15—20; 85, 20—24; 98, 2—9; 119, 34—42; 129, 43—48. 51. 53. 54; 158, 33—159, 3; 159, 28—39; 162, 16—45; 172, 33—36. 38—40. Ita cum Terentii glossas una cum Vergilianis quasi fundamentum glossarii esse cognoverimus, non mirabimur, quod saepius series exstant, quibus utriusque generis glossae confusae et contaminatae sunt, quales Gnuég p. 15 sqq. enumerat. Aliquoties accidit, ut pristinus ordo perluceat, ut supra Hec. 407; 490; 632. Sed rariora talia in Terentianis glossis quam in Vergilianis. De proventu glossarum Terentianarum idem dicendum quod de illarum origine exposuimus. Conveniunt modo cum Donato, modo cum scholiis quae edidit Schlee — cf. exempla quae Gnuég p. 48 sqq. composuit —, modo cum neutris; unde conicio ex scholiis trivialibus sive marginalibus sive inter versus adscriptis ea fluxisse. Indicem glossarum quas ex Terentii fabulis sumptas esse aut constat aut magis minusve probabile est idem Gnuég p. 21—44 exhibuit.

Sed etiam si sic contingeret quotquot Terentianae et Vergiliae insint glossae ita eruere, ut dubitatio omnis exclusa esset, haud tamen paucae residerent, quae ad neutrum poetam accommodari possent. Quae glossae nequaquam eiusdem omnes sunt generis; velut haud

paucae ad grammaticam spectant, ut hae (18, 35—45): *Antifrasis cum dicimus habundare quod non est et acidum quod dulce est denuntiamus naturae*, (*anathema perditio*), *analogia similitudo*, *anagogia regula artium ad loquendam*, *anacephaleosis recapitulatio*, *anthismos concinnitas*, *antonoma pronomem*, *anapestis exutrage longus*, *anfimacros exutrage urebis*, *ambibolia diuina dictio*, *analogia propositio*: quae integra series quin ex eodem tractatu excerpta sit (cf. velut Donatum IV p. 399 sqq., quem glossator sub *Euge* adfert p. 66, 23), vix dubitabis; eidem fonti similes aliarum litterarum glossas confidenter adscribes. Aliae glossae eo inter se continentur, quod omnes quodam cum Festo vinculo possunt conec̄ti, veluti hae (27, 49—28, 6): *capuluis manubrium gladii* (cf. Paul. p. 61, 12), *cassabundus instauilis bacillas* (cf. Paul. p. 48, 4), *capulum ubi mortui efferuntur* (cf. 27, 49), *caniles ex farina et aqua coquitur* (?), *caluitur moratur* (cf. Plac.), *caesit cecidit* (= ceciderit; cf. *occisit occiserit* et Fest. p. 178), *capessas incirias ut ciceso* (?), *capessere incipere uel adimplere* (?), *capsit aperit* (cf. Paul. p. 57, 15), *cardens uasa frestina saliorum* (cf. *capis* Paul. p. 48, 9), *carissa lena est dupla* (cf. Paul. p. 44, 3), *canier leno* (?), *canice recremeo* (cf. Paul. 46, 1), *casinar senex* (Paul. p. 47, 13): quarum plurimae cum ad Paulum accommodari possint, ceterae apud Festum videntur exstitisse. Similes glossas commemoro hasce (satis habeo lemmata attulisse): *antiae* (17, 26; cf. Paul. p. 17, 5), *capronae* (29, 41; cf. Paul. p. 48, 12), *deterimi* (= *decerrina* 53, 46; cf. Paul. p. 72, 7), *falcones* (74, 14; cf. Paul. p. 88, 8), *insulae sunt quem non iunguntur communibus parietibus cum uicinis* (92, 1; cf. Paul. p. 111, 5), *insupare* (92, 2; cf. Paul. p. 111, 15), *medius fidius* (116, 43; cf. Paul. p. 147, 8), *nequinnunt* (123, 46 = Fest. Pauli p. 162, 24), *offendis* (132, 3; cf. Fest. p. 205, 2), *praepetes* (156, 28; cf. Fest. p. 205, 26), *querquera* (158, 10; cf. Fest. p. 257, 31), *siliquastrum* (172, 32; cf. Fest. p. 340, 10), *suppara* (180, 1; cf. Fest. p. 311, 4), *tolleno* (185, 44; cf. Fest. p. 356, 8). In his consensus cum Festo vel Paulo cum aut certus sit aut magis minusve probabilis, etiam alia eidem fonti adscribemus, maxime in eis litteris quae apud Paulum solum exstant. Cf. *caliendrum*, *caracuticum*, *concupulassent*, *comitialis morbus*, *coxilina*, *discerniculum*, *diribitores* aliae. Eo maior vis tribuenda erit his vel similibus glossis ex bono nimirum fonte derivatis: *purpurilla*, *tuturilla*, *transenna*; *oculi cesii gattinei*, *occentare male ominari*, *oculi emissicii existentes uel emanantes*, *oculi gramos crassa pituita optute* (quae quattuor glossae 131, 32 sqq. se excipiunt); *ostenta*, *stolones*, *sudum*, *tuccentum*, *tuburcinatus*, aliis. Nonnullas glossas ad Apuleium spectare Loewe Prodr. p. 144 adnotavit; cf. *decerrina*, *concupulassent*, *tuburcinatus* (locos in Thes. gl. em. indicavi). Aliae ad Iuvenalem pertinent; cf. *acoenonitus*, *bascaudas*. Sed etiam hebraicae glossae haud

paucae inveniuntur nec Eucherii vestigia desunt. Quae glossae diversissimae cave ad eundem fontem revoces: videntur potius plures tractatus vel plura excerpta ab eo adscita esse qui glossarium illud sexto vel septimo saeculo condidit. Quod qua ratione cum aliis glossariis coniunctum sit, infra apparebit. Quanta qui composuit glossarium negligentia usus sit, ex talibus glossis intelleges quales sunt *inuisales aquilae* (101,49); quae ex hac scriptura explicanda est: *inuis ales* pro *iouis ales*; nunc legitur post *inuisum* et ante *insistere*.

§ 35. Nunc ad prius illud glossarium pergamus, quod ab *Abstrusa* incipit: cuius glossarii cum memoria exstet non contaminati, de qua praef. IV p. XII—XIV summam disputavimus, de contaminationis ratione facile iudicare possumus. Vtriusque glossarii materiem comparantes vix effugere poterit partem glossarum inter se conspirare, h. e. in utroque glossario exstare, velut 38, 34 = 40, 39; 53, 3 = 52, 5; 73, 4 = 72, 23; 140, 16 = 139, 17; alias. Quod mirari noli: nam simile est utriusque glossarii fundamentum, scilicet ex glossis Terentianis et Vergilianis compositum, ut iam Gnuég l. s. s. p. 50 perspexit. Ordines glossarum in glossis 'abstrusa' non tam plani sunt quam in altero glossario, nec raro accidit, ut glossae Vergilianae et Terentianae confusae inveniantur; exempla enotavit Gnuég haec: 40, 38. 39 gl. Ter., 40—42 Verg., 43 Ter.; 49, 37, 38 gl. Ter., 40 gl. Verg.; 41 Ter., 42—43 Verg.; 68, 51 gl. Verg., 52 Ter., 53 Verg., 54 Ter., 69, 1 Verg. Sed etiam singulares glossas saepe ad Terentium, saepius ad Vergilium summa probabilitate revocari posse idem p. 51 monuit: 51, 11 *dedita opera* = Eun. 841; 73, 20 *phaleratis ornatis aut ficticiis* = Phorm. 500; 139, 4 *pedetemptim caute quasi pede temptans* = Phorm. 552; 164, 12 *ringitur irascitur indignatur* = Phorm. 341; *vesperescit sero fecit* = Heaut. 248. A talibus profectus Gnuég indicem glossarum ex Terentio promptarum p. 51 sqq. confecit laudabilem, quamquam de multis glossis rem dubiam esse ipsum non effugit; sed ne sic quidem summam rei infirmari manifestum est. Idem mihi roganti Vergilianarum glossarum indicem manu scriptum tradidit, ex quo perspexi eandem esse Vergilianarum glossarum rationem quam Terentianarum esse diximus. Nonnulla exempla exhibeo: 27, 18 *caulas* = Aen. IX 60; 20 *caulem* = Aen. XII 413; 22 *conum* = Aen. III 468; 23 *capulum* = Aen. XII 734; 24 *caminus* cf. Aen. III 580 cum Servio VIII 418; 26 *caudix* cf. Georg. II 30; 30, 5 *cana mala* = Ecl. II 51 cum Servio; 7 *calatum* cf. Ecl. II 46; Aen. VII 805; 8 *caltia* = Ecl. II 50; 9 *caduceum* cf. Serv. ad Aen. IV 242; 12 *caua trabe* = Aen. III 191; 13 *castoreum* cf. Georg. I 59; 79, 38 *furor* = Aen. II 316; 39 *furentes* = Aen. IV 42 etc.; 41 *furtium amorem* = Aen. IV 171; 42 *frustratur* = Aen. VI 493; 43 *futilis*

= Aen. XI 339 (?); 80, 35 *flagrantem* = Aen. II 685; 36 *fragor* = Aen. I 154 etc.; 40 *fracti* = Aen. II 13; 41 *frangimur* = Aen. VII 594; 83, 42 *Graios* = Aen. II 148; 43 *grandaeuus* = Aen. I 121; 47 *grates* = Aen. I 60 etc.; 49 *gramina* = Aen. XII 415; 50 *graditur* = Aen. I 312 etc.; 51 *grauiter* = Aen. VII 753; 52 *gratatur* = Aen. V 40; 54 *gravi cura* = Aen. IV 1; 91, 15 *incedens* = Aen. V 188; 17 *inclementia* = Aen. II 602; 18 *inclita* = Aen. VI 781; 19 *incestat* = Aen. VI 150 cum Servio; 99, 22 *intextus* = Aen. V 252; 29 *inuitat* = Aen. V 486 etc.; 33 *inuocat* = Aen. VII 140; 34 *inuisere* = Aen. VIII 159; 37 *inueni uiam* = Aen. IV 478 (Ter. Eun. 247?); 41 *inuergit* = Aen. VI 244; 106, 8 *lebetas* = Aen. III 466. V 266; 22 *Lerna* = Aen. VI 287; 24 *Lernacus* = Aen. VIII 300; 25 *letifer* Aen. III 139; 120, 24 *mulcere* = Aen. I 66. VIII 634; 25 *munus* = Ecl. VIII 60 etc.; 28 *munia* cf. Serv. in Aen. XII 520; 33 *murice* = Aen. IV 262; 138, 15 *patuit* = Aen. I 405; 18 *patulae* = Georg. IV 566; 21 *Panas* cf. Serv. in Aen. VI 775; 24 *patulis* = Georg. I 376 etc.; 25 *paulisper* = Aen. V 846 (Ter. Ad. 253?); 33 *pedibus plaudunt* = Aen. VI 644; 155, 35 *pressant* = Aen. II 444 (?); 36 *praeruptis* = Georg. II 156; 37 *praepes* = Aen. V 254 (III 361); 39 *praestantior* = Aen. VI 164; 40 *praedulce* = Aen. XI 155; 44 *praecipue* = Aen. I 220 etc.; 160, 32 *recens* = Georg. III 156; 33 *recensit* = Georg. IV 436; 34 *recludit* = Aen. I 358 etc.; 40 *recursat* = Aen. I 166; 41 *recurso* = Aen. II 52; 43 *recidua* = Aen. III 344; 44 *recursat* = Aen. IV 3; 163, 28 *resultat* = Georg. IV 50; 29 *reserat* = Aen. VII 613; 30 *restantia* = Aen. 679; 32 *retentat* = Aen. V 278; 35 *retextit* = Aen. I 356; 36 *retractat* = Aen. VII 694; 38 *reuiso* = Aen. II 795; *reuisam* = Aen. II 669; 40 *reuisit* = Aen. I 415; 182, 7 *tedae* = Aen. IX 76; 9 *tegmine* = Aen. I 275; 10 *tellus* = Aen. VI 23; 11 *telluris* = Aen. I 34. In quibus exemplis quamquam non omnia certa esse probe scio, tamen de summa rei omnis dubitatio exclusa est. Itaque magnam glossarum partem constat ad Vergilium et ad Terentium spectare, eiusdem igitur prosapiae esse quam in priore glossario tractauimus. — Sed tertium glossarum fundamentum fieri non potest quin agnoscamus per totum illud glossarium pertinens, quod utrum ex uno an ex pluribus fontibus repetendum sit aegre dicas. Christiana inesse non pauca facile intellegit qui vel unam litteram percurrit: quo in numero numeranda esse nomina hebraica, id est biblica, vix est cur diserte dicamus. Eodem referendae sunt velut tales glossae: *cucurbita secundum septuaginta, reliqui et ederam dixerunt* IV 43, 52 (cf. Roensch Ital. p. 9 sq.), *<h>exaemeron librum unum composuit* IV 69, 21 (cf. *inexaimeron sex dierum* IV 94, 10 = Euseb. eccl. hist. V 13); *homocusion similis substantiae* IV 87, 35; *idolum ex dolo nomen accepit, quod diabolus creaturae cultum diuini honoris inuexit* IV 89, 6 (cf. Isid.

VIII 11, 14), *in exstasi abreptum a sensibus corporis et subreptus in decum aut ubi a deo ad hominem revocatus est ut: ego dixi in exstasi* (IV 92, 33); *parasceue latine praeparatio dicitur* (IV 138, 20; cf. Eucher. instr. p. 155, 2); *aliae multae*. Ex eodem fonte utrum magnus vocabulorum rariorum numerus profluxerit necne non audeo decernere; cf. velut talia: *abaso* (de quo num Stowasser Arch. XII p. 579 recte iudicaverit dubito), *acrimoniosus, agagula, agonia alacritas uigor, alsosus, anxiferis, artopta, bouinatores, cateruarius, ciuicat, clipeare, dilargus, discipulati* (Roensch Collect. p. 91), *aegrotaticius, emulcens, epulaticius, excanet, ferascit, foliatum, ninnarus, parasituli, platanetum*, alia non pauca. In eodem glossario exstare synonymorum Ciceronis vestigium apertissimum iam supra dixi; cf. *orator actor* etc. IV 134, 3 (= § 24). Omnia si complectimur, satis recentem scriptorem materiem praestantiorē praeuisse suspicabimur, quem nescio an contingat indagare. Glossas 'abstrusa' in librum glossarum transisse § 33 monui; eadem in 'affatim' glossis exstant.

Haec igitur duo glossaria septimo saeculo¹⁾ coniunxit qui glossarium Vaticanum 3321 condidit. Vtroque glossario vel potius glossario ex utroque derivato usum esse videri qui codicis Leidensis 67 E farraginem congesserit exposui IV praef. p. X; quo de libro conferendi sunt L. Mueller in Fleckeiseni Annal. vol. V 93 (a. 1866) p. 385, Loewe Prodr. p. 145, nos l. s. s. Ex quo excerpta quaedam quinto volumini addidi (cf. p. 632 sqq.); itaque infra ad hunc librum redeundi occasio data erit. Etiam aliis in glossariis exstant vetustissimi libri vestigia, velut in glossis 'aa': quae tamen nunc mittenda esse censui.

§ 36. Glossarii Sangallensis quod ex codice Sangallensi 912 saeculi octavi exhibui prototypum iam septimo saeculo existitisse ex excerptis apparet quae Carolus Pascal in codice Ambrosiano F 60 sup. saeculi VII invenit (cf. Bolletino di Filologia class. ottobre 1905 = Letteratura Latina medievale ed. Cataniae a. 1909 p. 191 sqq.; etiam Lindsay mihi excerpta misit): his enim in glossis quamquam ordine diversis et auctis quibusdam nec non deminutis aliis in univ. sum fragmentum eiusdem glossarii exstare editor rectissime exposuit. De codice ipso Sangallensi post Vsenerum et Loewium diligenter egit Minton Warren in libro qui inscribitur 'Transactions of the Ame-

1) In libro Matritensi quem vol. IV praef. p. IX commemoravi, in fol. 159^v haec glossarii mira inscriptio est: 'L^o glosūs! bāba! et uitizza rēg^s. Incipit liber quod dicitur glosemada p XX. II. littere cōpulatū.' Certe notabilis memoria, quod Bamba (= Wamba, 672—681: cuius historiam scripsit Iulianus Toletanus, grammaticus notissimus) et Vitiza (672—680) reges cum hoc glossario (vel exemplari quodam glossarii) coniunguntur. Num simili modo olim in exemplari libri glossarum, quod Ansileubi nomen exhibuit, illam memoriam servatam esse statuendum est?

rican Philological Association' vol. XV (a. 1885) p. 126; 128; idem glossarium edidit ex suo apographo, quod Gundermann denuo cum codice manuscripto comparavit.

De fontibus glossarii Sangallensis olim Minton Warren libelli quem attuli p. 130 sqq. bene disputavit, quamquam quaestionem exhaustire illo tempore neque potuit neque voluit; perspexit enim non ita paucas glossas revocandas esse ad Vergilium, etsi ordines quales sunt in Vaticano 3321 ibi non comparent; velut *circumfundimur circumdamur* (219, 12) = Aen. II 383 (cf. IV 35, 28); *ast ego ego autem* (208, 30) = Aen. I 46; *allabitur leuiter decurrit* (205, 52) = Aen. X 292; *cliens susceptus* (216, 38) = Aen. VI 609 (cf. Serv.); *capessere capere inuadere frequenter* (215, 33) = Aen. I 77 (cf. Serv.). His addendae: *ab oris a finibus uel ab initiis* (201, 29) = Aen. I 1; *Aeneadae Romani uel Troiani* (204, 19) = Aen. I 157 (cf. Serv.); *Belidae a Belo patre* (211, 17) = Aen. II 82; *byrsam corium bubulum* (212, 14) = Aen. I 367 (cf. Serv.); *curuato gurgite erecto fluctu* (224, 46) = Aen. III 564 (cf. Serv.); *damae capreae* (225, 9) = Georg. III 539; *decidit cecidit* (227, 8) = Aen. V 517; *desacuit ab iracundia lenitur* (227, 26) = Aen. X 569 (cf. Serv.); *diues opum* (229, 46) = Aen. I 14 (II 22; Georg. II 467); *deriguit obstipuit* (226, 25) = Aen. III 308; *Phoebea luna* <e> (238, 46) = Aen. IV 6, ut alia harum et aliarum litterarum exempla mittam. De hoc igitur fundamento ut dubitari non potest, ita ne de altero quidem incerti sumus, quod in Vaticani glossariis inuenimus, h. e. de glossis Terentianis, etsi minus frequentes esse videntur. Velut iam Warren attulit duas notabiles hasce: *compotrix socia ad bibendum* (220, 31) = Andr. 232; *aliorum alteram in partem* (205, 48) = Eun. 82; his addes alias magis minusve probabiliter, ut has: *discidium separatio per uim facta* (229, 23) = Hec. 476; *diuerticulum quod breui loco diuertitur* (229, 38) = Eun. 635; *dictitat frequenter dicit* (228, 50) = Heaut. prol. 22 (Phorm. prol. 4); *educat nutrit* (230, 43) = Phorm. 943; *effertur fumus ducitur* (230, 48) = Andr. 117; *expediam explicem liberem* (235, 22) = Ad. 614; *experire cognosce[re]* (235, 23) = Phorm. 494 (?); *ganeo taberno popinator* (240, 43) = Heaut. 1034; *ringitur irascitur indignatur* (280, 7) = Phorm. 341; alias. Dubitare igitur vix licebit, quin duo poetae medio aevo famosissimi partem aliquam materiae dederint. Mirum sane est quod etiam alium ob fontem cum glossis Vaticanis comparari possunt Sangallenses: magnum enim glossarum numerus continent quae cum Festo vel rectius cum Paulo certo et aperto vinculo cohaerent, quarum longe plurimas iam Warren indicavit: *nis nobis* (261, 51) = Paul. p. 47, 3; *anxati uocati nominati* (206, 28) = Paul. p. 8, 9; *exanclare exhaustire* (235, 61) = Paul. p. 80, 13; *oppidanus; ciuis ex oppido; nam oppidaneus latinum* <non> est; *apud antiquos oppida dicta*

sunt quod opem darent (265, 7) = Paul. p. 203, 2; *remillo repando* (278, 56) = Paul. p. 276, 13; *sarissa genus teli Macedonici* (281, 47) = Paul. p. 319, 8; *sucerdas stercus ouile* (288, 33) = Paul. p. 303, 1; *tagax furunculus* (290, 3) = Paul. p. 358, 1; *nusciosus qui plus uespere uidet* (262, 39) = Fest. p. 173, 21; *alcitellus alte euocatus* (= *educatus*; 206, 8) = *altellus terrae nutritus* (206, 10) = Paul. p. 7, 10; *exhaustant exhauriunt* (235, 8) = Paul. p. 82, 6; *taura sterilis* (290, 17) = Paul. p. 353, 1; *aeneatores corno uel calamo cantantes* (204, 18) = Paul. p. 20, 7; *bubinare inquinare sanguine mulieris menstruatae* (213, 3) = Paul. p. 32, 1; *campae equi marini* (213, 30) = Pauli p. 44, 1; *carisa uafra* (214, 31) = Paul. p. 44, 3; *acieris securis quam flamines seu pontifices habebant* (202, 39) = Paul. p. 10, 1; *palma manus* (314, 28) = Paul. p. 370, 7. Sed iam satis videtur esse exemplorum, quamquam multa alia addi possunt. Ex quibus apparet opinor excerpta Festi modo accurate facta modo hoc vel illo modo mutata in septimi saeculi glossarium recepta esse, qualia excerpta quamvis non eadem etiam in Vatic. 3321 inesse inuenimus. Atque in Sangallensi mirum est quot glossae ad Pauli Festi epitomatoris copias accommodari possint, cum earum glossarum quas Festus solus servavit paene nullo loco ratio haberi videatur. Cum tamen fontem ex quo qui hoc glossarium concinnauit sua haurire potuerit iam duobus saeculis ante Paulum exstisse certum sit, nescio quomodo hanc rem explicem nisi sic: Paulus Diaconus cum epitomam suam conficeret, excerpta talia qualia tractauimus pro fundamento videtur habuisse et adscito ipso Festo in eam quae nunc exstat formam redegissee: qua de quaestione infra denuo disputandum erit.

Sed praeter ea quae cum Paulo et Festo componi licet etiam aliae glossae vetustioris prosapiae inueniuntur quae modo cum Placido modo cum Nonio conferri possunt aut per se tales sunt, ut vetustatis notam prae se ferant certissimam; quales iam Warren collegit plurimas. Neque tamen hebraica aut christiana vel alia recentioris latinitatis vestigia desunt; cf. *acidiaturs*, *acidia*, *actuarius*, *anasceue*, *anathema*, *apostolus*, *apocalypsis*, *aulicus*, *adonai*, *amen*, alia multa. Itaque similis huius glossarii condicio est atque Vaticanorum glossariorum, quae propter hanc ipsam rem uno capite tractauimus. Qui confecit glossarium, utilitati discipulorum consulens glossarum quoddam fundamentum ad lectionem Vergilii et Terentii fulciendam praebuit, sed et doctiores haud paucas glossas vetustioris notae adpersit, christianam autem doctrinam minime neglexit.

Praeter ipsum codicem Sangallensem codices aliquot adscivi similia glossaria continentes, quamvis non prorsus eandem materiem

praebeant. Exemplum codicis Ambrosiani saec. IX vol. IV p. 585 sqq. proposui. Glossis cum Sangallensi conspirantibus haec est praemissa series: *Allegoria spiritalia, Acolothin ecclesiasten, Ambrosia diuina, Analogia simili comparatio siue propositio*, 5 *Absida latori circulus, Anachorite qui soli habitant, Adnititur plus conatur, Abluit cadit, Adlut perfudit*, 10 *Adlubis locus cenosus, Adridit gaudit fauit, Artum angustum locum siue dolum, Adnexi satis conati, Archana mentis secreta mentis*, 15 *Atrix nigris, Agra aedes, Abdigat exereditat, Abluta diligenter lota, Absistere discedere*, 20 *Abiecte excluse, Adruptis per uim ruptis, Abiecit proiecit, Arces altiora laeta, Arbusta loca arborum*, 25 *Atua pluraliter, Accidus adductus*: ex quibus 18 etiam in Sangallensi est, in aliis glossariis leguntur 5 (= *latiores conculas*), 7, 9, 10, 11, 12 (contaminata), 13 (= *Adnisi*), 15, 17, 21, 22, 23, 24, 26, ceterae inutiles sunt. Similis condicio aliorum ordinum qui in littera A adiecti sunt videtur apparere, unde non est cur his glossis additiis maius pondus tribuamus. In ceteris litteris additamenta et pauciora sunt neque meliora. — Codex Leidensis 191 secundo loco glossarium continet ex duobus glossariis haustum: alterum eandem fere materiem habet quam codex Sangallensis, cuius discrepantiam potiore adscivi; prius sive ex uno sive ex pluribus fontibus derivatum nihil exhibere, quod non ex antiquioribus fontibus notum sit, recte dixisse mihi videor. Posteriori glossario excerpta nonnulla ex Paulo addita sunt (cf. Loewe Prodr. p. 141), velut haec in littera B: *Bona i. substantia rerum dicta quod digna sint bonis* (= 30, 2); *Bacrimonem dicebant genus uasis longioris manubrii; hoc alii trullam appellant; Baratrum ... fugiant; Burrum ... appellatur: Bulla aurca ... consilium; Boicus ager ... Mediolanenses*. Paulina excerpta continua a glossis littera initiali distingui solent; ex his vix quicquam ad emendationem Pauli peti posse ex eis quae examinavi apparuit. — His codicibus glossarium adieci quod 'asbestos' dicitur a Loewio ob primam glossam: *Abeston lapis arcadie* e. q. s., quae ex Isidoro (XVI 4, 4) fluxisse videtur, ut quae secuntur *absictos* (XVI 11, 2), *Aprica loca* (XIV 8, 34), *Ablactatus* (X 11), *Abactor* (X 14), *Abactus* (X 20), *Abram* (VII 7, 2), *Abortiuus* (X 20), *Absida* (XV 8, 7), *Abies* (XVII 7, 32), *Abiuratio* (V 26, 20). Iam submituntur glossae quae etsi ordine discrepant in universum tamen cum Sangallensibus conspirant. Quae de codicibus huius glossarii dixi his non habeo quod nunc addam. Liber Vaticanus eo maxime a Cassinensi differt, quod additamentis pretiosissimis quibusdam auctus est, quae edidi IV praef. p. XVIII: de quibus conferenda sunt quae Mus. rhen. vol. LX (a. 1886) p. 324 sqq. disputavi, unde gravissima hoc loco repetenda esse censi (cf. quae supra p. 16 dixi): 'Man könnte sich ... versucht fühlen, alles auf Paulus oder

Festus zurückzuführen, oder, da dies nicht ohne Schwierigkeit ist, gar Verrius Flaccus hinzuzunehmen. Indessen stößt dieser Versuch auf schwere Bedenken. So kann man Corruptelen wie *Pepteides* und *Pegnides* zwar auf einen Codex des Festus zurückführen, nicht wohl aber auf Festus selber oder gar Verrius Flaccus. Entscheidend ist aber das Verhältnis des 15. Fragments zu Fr. 1 und 14. Lachmann hat bekanntlich die Beobachtung gemacht, daß bei Festus niemals Lucilius nach der Buchzahl zitiert wird. Das stimmt auffallend bei *pipatio*, das doch sicher auf Festus geht, es stimmt aber nicht bei *abzet* und *pedicum*. Wollte man aber einen Unterschied statuieren zwischen Festus und Verrius Flaccus, so schwebte eine solche Vermutung völlig in der Luft. Wenn wir es also auch aufgeben müssen, alle 23 Glossen auf Festus-Verrius zurückzuführen, so bleiben die Berührungspunkte mit Paulus-Festus immerhin noch auffallend genug. — Ein zweiter Umstand, der sofort ins Auge fällt, liegt in den Berührungen mit Lucilius ..., doch reichen diese sichern oder möglichen Beziehungen nicht hin, um etwa das Ganze dem Lucilius zuzuschreiben. Es läßt sich also über die Herkunft der besprochenen Glossen nur so viel sagen, daß sie teils auf Festus, teils auf eine grammatische Sammlung zurückgehen, in der namentlich Lucilglossen enthalten waren.' Quibus pauca habeo quae addam. Gl. 14 est: *pedicum vitium mollitiae*, quae verba ad 'morbum pedicularem' Marcius retulit, nescio an recte. Ad corporis vitia etiam aliae glossae pertinent, velut secunda (*Bietus senex marcenti corpore*); 6 (*lactobriga est qui urina humana dentes sibi fricare solet*); 18 (*sanna narium medium*); 19 (*scidici lascivi, libidinosi, quod subinde scindantur*); 20 (*scultimidoni qui scultimam suam quod est podicis orificium gratis largiatur*); 21 (*suppes est qui sola concava non habet*); 22 (*taurus dicitur locus inter inguina et podicem medius*). Quae qui leget ei nescio an ultro succurrat recordatio libri Suetoniani qui est de vitiis corporalibus: quamquam quomodo hanc suspicionem confirmem non habeo.

CAPVT XIII. DE GLOSSARIIS CODICIS LEID. 67 F

§ 37. 'Abavus' glossarii brevioris (IV 299—403), quod plus quam quinque milia glossarum complectitur, hanc esse indolem Loewe Prodr. p. 90 exposuit: 'I. Ad severum litterarum ordinem redactas esse has glossas primo statim obtutu apparet. Velut cf. lemmata apud Hildebrandum p. 99 sq. a *des* incipientia: Descat — Desciscat — Desciscit — Descit — Desecto — Desertum — Deseuit — Deses — Desideratus — Desidescere — Desidia — Desidiosus — Desiduus — Designat — Desiluit — Desipit — Desistere discedere recedere — Desistere pati non posse

cessare — Desitiscere — Despondere — Destinata — Destitudo — Destitutus — Destringit — Desuetus — Desuper — Desurgit —. Non autem mirum quod saepius huic normae obstat qualis apud Hildebrandum est litterarum ordo: dici enim nequit quantopere hac in re grassata sit librariorum neglegentia . . . II. Prorsus . . . singulare illud est, quod qui glossas collegit, ut augeret opusculi ambitum, saepiuscule numerum glossarum ita duplicavit, ut praeposito lemmati interpretamento novam glossam quasi cuderet.¹⁾ Quae quidem ratio quam sit perversa non est quod exponam. Iam compares velim quas ex diversis glossarii locis congeSSI glossas: *enucleavit exposuit* = *exposuit enucleavit*; *colomes salvos* = *salvos colomes*; *eliciens produciens* = *produciens eliciens*; *perduelles hostes* = *ostes perduelles* (= *hostes perduelles*); *olli illi* = *illi olli*; *bambis aranea* = *aranea bambis*. Vbi duabus vocibus lemma explicatum erat, prior novae glossae lemma praebebat: *proci petitores uxorum* = *petitores uxorum proci*; *visaccia sarcina mantica* = *sarcina visaccia mantica*; *pirata latro marinus* = *latro marinus pirata*. Quid? quod ex talibus glossis ternas adeo glossator confecit, curans ille ambitum potius quam bonitatem glossarii. Cf. haec exempla: *ruscidum ubidum humidum* = *ubidum humidum ruscidum* = *humidum ruscidum ubidum*; *sapa passum defretum* = *passum sapa defretum* = *defretum sapa passum*; *contentio altercatio disceptatio* = *altercatio contentio* = *disceptatio rixa contentio* = *rix a contentio disceptatio*. Quam rerum condicionem qui diligenter secum reputaverit, auctorem huius glossarii non tam sibi proposuisse glossas cogere quam lexicon quod dicimus latinum condere pristina glossarum forma neglecta mox intellet. Quamquam ne is quidem glossographus priorem naturam singularum glossarum prorsus obscurare potuit, etsi neglegentia saepe usus est pessima, velut 384, 25: *Quousque quandiu vel usque quo et Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra*, quae prave discreta una glossa comprehendenda sunt Ciceronis notissimo loco ornata. Mirum est quod praeter interpretamenta latina non raro graeca quoque adiecta sunt, velut 331, 17 *diligentius impense enixe*, quibus *ἐκτενέστατα* addunt *abc*, 334, 46 *effertur funus ducitur*, quibus *ἐκκομίζει* addunt *abc*, 334, 47 *efficit sufficit* (*ἀρκεῖ ἀπόχη* add. *ac*), 335, 17 *elatus ambitiosus superbus* (*ἀλαζών* add. *ac*), 341, 2 *falbus fulbus helbus* (*ὁ ξανθός* add. *acd*). In eis quae modo attuli Leidensis graeca omisit; idem servavit in hisce: 350, 56 *immo μὲν οὖν* (om. *abcde*); 351, 42 *insanctus ἀνόσιος* (om. *abcde*); 310, 46 *arillator cocio μετάβολος*. Quarum glossarum plurimae cum etiam sine graeco interpretamento propagatae sint, nolim cum Loewio (Prodr. p. 96) concludere auctorem Graecum

1) Talia etiam in aliis glossariis invenimus; cf. gloss. 'aa', ut uno utar exemplo.

fuisse, qui Prisciani fere aetate haec collegerit; immo qui Graeca scripsit ex latinograeco glossario hausit tali quale Pseudophiloxeni est; cf. glossemata codicis Harleiani quae § 23 tractavimus. Multo plura exempla exstant in maiore glossario 'abavus'; velut Vossianum 82 quinquaginta talia interpretamenta exhibere testis est Loewe p. 96: unde apparet eum qui maius lexicon consarcinaverit adhibuisse exemplar pluribus interpretamentis graecis insigne quam quo nos utimur. Nam noli credere abavus' minus glossarium ex maiore tractum esse: quod cur negem mox apparebit. Qua cum re cohaeret, quod glossas 'abavus' etiam alio vinculo cum Pseudophiloxeno contineri ipse Loewe Gl. N. p. 102 sqq. feliciter docuit. Codex enim Leidensis p. 352, 46 hanc glossam habet: *indissertus ab infans*, ubi pro *ab* glossarium maius habet *axp*. Quae scriptura etiam alibi in eodem glossario apparet, velut 335, 6 *egredi axp euitere*; 351, 45 *incides* (= *inciens*) *apx gravida*. Idem *apx* = *αρχ* saepius exstare apud Pseudophiloxenum et *ἀρχαίως* valere perspexit iam Klein Mus. Rhen. vol. XXIV (a. 1869) p. 293 adn. 6. Vnde recte adscivit Loewe glossas codicis Leidensis 310, 52 (*armentia pax essentia extantia* = *armentia ἀρχαίως eminentia extantia*; cf. Papias); 374, 22 *patibulum ἀρχαίως cruz*; 357, 36 *ipsus ἀρχαίως ipse* (*axp sepsus ipse* *bd*). Adde quod totam seriem glossarum ex bilinguis ductarum detexisse sibi visus est Loewe hanc (gl. N. p. 105): *pulcer speciosus* (382, 37); *pulpac carnes* (382, 38); *pulentum puleium* (382, 39); *pullos filios avium* (382, 40); *pullulat germinat* (382, 41); *pulum nigrum* (382, 42), quamquam in his non omnia certa esse vix ipsum Loewium fugit. Alia exempla sunt *apex repaia* (310, 7), h. e. *κεφαλα*, ut idem Loewe proposuit Gl. N. p. 110 coll. Pseudophiloxeno II 19, 27; *vigor κοιν laetitia* (401, 39), ubi *κοιν* 'abavus' maior, in quo *ἀκμή* latere putat Heraeus, cum Loewe l. s. s. p. 112 *ἐλαφότης* proposuisset. Quid quod ex uno fragmento glossarii bilinguis, quod edidimus II p. 561 sqq., haec exempla notabilia derivari possunt: 302, 46 *accepto tulit recepit* (= II 561, 43); 349, 5 *hibernat hiemat* (= II 561, 35); 305, 26 *adsum praesum* (= II 561, 51, ubi scribendum: *praesens sum*); 308, 46 *amoti remissi* (II 561, 50); 355, 43: *irrumperere obrepere inrepere* (= II 562, 3)? Quibus aliam ob rem addi possunt ex Pseudophiloxeno haec: 342, 20 *ferago viridis* (= II 70, 35; *ῥαάστis d* addidit); 304, 5 *adinventiones compositiones* (= II 10, 45); 309, 51 *apertularius effractor* (= II 21, 48); 313, 19 *battuit concidit decidit* (= II 28, 43); 315, 17 *cacula servus militis* (= II 95, 20); 331, 9 *digitabulum digitum* (cf. II 49, 30); 357, 30 *invium sine via vel timore* (*ἄβατον* add. *abc*; cf. II 215, 8); 359, 44 *laetrus laevus* (= II 120, 20); 359, 12 *lapsina lapsus* (= II 585, 14); 376, 46 *pessimus verbosus* (*πάχιστος* add. *ad*; cf. II 149, 50); 388, 2 *rumigerulus rumoris portitor vel*

opinionis (= II 176, 8); 389, 37 *scindit dividit* (= II 180, 4); 391, 31 *silo naso inciso vel reducto* (= II 184, 2). In his exemplis quae si tanti est augeri possunt non omnia eodem modo certa haberi posse non nego, nego de ipsa re dubitari posse.¹⁾ Qui igitur illud glossarium composuit, latino-graeca glossaria adscivit, nisi malueris omnia ex uno glossario derivare, nempe eo cuius insigne illud fragmentum p. 561 sqq. exhibuimus. Quamquam longe maximam glossarum partem ex qua opus suum concinnaret ex glossariis mere latinis — nam illa graeca verba in sermonem latinum recepta, ut *allegoria*, *analogia*, *apodixis*, pro latinis habenda sunt — eisque nobis magis minusve notis hausisse auctorem etiam nunc demonstrari potest. — Non unum autem fontem talem subesse, sed plures, minimum duo, iam inde non sine probabilitate concludes, quod permultis locis duae eiusdem lemmatis glossae iuxta se collocatae sunt, veluti *Abnepus filius nepotis* (301, 37) et *Abnepus filius pronepotis, id est nepus nepotis* (301, 38); *Acies ordo vel prima pars exercitus* (303, 17) et *Acies extensa militum impugnatio* (303, 18); *Bona caduca facultas quae non habet firmitatem* (314, 32) et *Bona caduca quae successionem legitimam non habent* (314, 33); *Bustum sepulchrum succensum* (315, 1) et *Bustum ubi cadavera hominum conboruntur* (315, 2); *Capite census coronam qui in capite gerit* (316, 25) et *Capite census taxatio possessionum* (316, 26); *Dapsilis largus profusus* (327, 20) et *Dapsilis ab opibus qui satis erogat escas* (327, 21); *Latices botriones, caprioli* (359, 33) et *Latices liquores, aquae lateres* (359, 34) et alia multa. Nec desunt glossaria, quae cum eo quod tractamus firmo vinculo cohaerere videantur. Velut permultae glossae communes sunt glossario 'abavus' et glossis Vatic. 3321, ex quibus has commemoro: *Abrogare legem tollere* (302, 9 = 3, 5); *Ausculat advertit intente* (302, 16 = 21, 43); *Acrae mentis validae mentis* (303, 22 = 5, 30); *a culmine ab alto a summo* (303, 35 = 5, 36); *Aegeator hortator* (305, 51 = 11, 48); *Adrogans superbus* (305, 3 = 7, 24); *Accidit evenit* (302, 51 = 7, 14); *Adfari adloqui* (303, 49 = 8, 15); *Admentum ligamentum* (304, 28 = 16, 24); *Adsertor confirmator* (305, 20 = 11, 1); *Altilia studio saginata* (308, 4 = 15, 13); *Accipitrem acceptorem* (302, 53 = 5, 31); *Adlositum adlisum* (304, 25 = 7, 31 *adsolitum adlisum*); *Adoream laudem bellicam* (304, 47 = 8, 29); *Adrumavit rumorem attulit* (305, 4 = 8, 9; 10, 2); *Agaso domesticus* (306, 42 = 13, 12); *Acoenonitus qui nulli communicat* (303, 19 = 7, 1); *Actuarius acta qui facit* (303, 32 = 7, 2); quibus multae aliae et in A littera et in aliis litteris addi possunt. Item multae glossae in primo glossario Amploniano redeunt. Etiam cum aliis glossariis communia sunt haud pauca: sed vix contin-

1) De talibus glossis ex latinograecis in mere latinis mutatis iam Loewe Prodr. p. 192 dixerat.

get singulos fontes accurate distinguere, ut quorum ipsorum summa similitudo exstet. Haec autem non sine quadam veri specie dici posse videntur: 1) multae glossae quas 'abavus' glossarium solas exhibet ita natae sunt, ut ex interpretamento novum lemma fieret, lemma in interpretamenti locum cederet; 2) haud ita paucae glossae ex bilinguibus glossariis derivandae sunt, quae hic illic interpretamenta graeca retinuerunt, plerumque tamen abiecerunt; 3) maiorem glossarii partem ex aliis glossarum promptuariis desumpsit auctor, desumptam ad severiorem litterarum ordinem accommodavit: in quo negotio etsi non idem quod in Vaticano codice 3321 est glossarium adhibuit, tamen simili mole glossarum usus est, nisi quod Terentii glossae aut nullum aut parvum locum videntur habuisse; 4) haud paucae glossae insunt ad propinquitatis gradus cuiuscumque generis pertinentes, velut in littera A sola hae: *abavus*, *abamita*, *ava*, *abnepos*, *abmatertera*, *amita*, *abpatruus*, *avus*, *agnatus*, *amita magna*, *amilina*, *amitinus*, *atnepos*, *avunculus*, *avunculus magnus* (cf. Isid. IX 6), quarum pars tantum in aliis glossariis redit; accedunt vocabula iudicialis sermonis haud pauca, quae iam Loewe Prodr. p. 97 notavit; 5) etiam rariores glossae insunt ad eundem vel plures scriptores revocandae, ut hae: *Ducto auspicio*, *Flocci pendens*, *Sed ne hiscatis*, *Savia libantes*, aliae; ex his priores simul in glossis 'aa' inveniuntur, quod etiam de aliarum glossarum numero haudquaquam mediocri valere moneo; 6) glossarium multa vestigia sermonis vulgaris continet, qualia ex parte iam Loewe indicavit; talia sunt in lemmatis *niniosus*, *minificentia*, *livegat* (= *levigat*), *fidus* (= *foedus*), *prodiunt prodeunt*, *instruem* (= *struem*), *abscoltat*, *aeditus* (= *aedituus*), *aemitavit*, *bambis* (= *βόμβυξ*), *cretellae cletellae*, *ferrago* (= *far-rago*), *frustra* (= *frusta*), *litices* (= *liticines*), multa alia.

§ 38. Pergo nunc ad alterum glossarium Leidense quod ab ab absens incipit (IV p. 404—427). Cuius glossarii materies in littera A triplex est: continet enim 1) satis multa quae cum Pseudophiloxeni glossis componi possunt; 2) non paucas glossas Vergilianas; 3) glossas etiam in aliis glossariis exstantes. Pseudophiloxeni glossae hae sunt (cf. Goetz de Astrabae Plautinae fragmentis in ind. len. aest. a. 1893 p. 3 sqq.; supra p. 11): *acceries* 404, 15; *Actuernalis* 404, 22; *Adpletoret* 404, 35; *Aemidus* 405, 7; *Atanulu* 406, 33; *Aureax* 406, 40; *Alibre* 405, 24. Quae glossae etiam alia ratione inter se conexas sunt: etenim fere omnes apud Festi epitomatorem Paulum inveniuntur (*Acceries* p. 10, 1 = *Acieris*; *Actuernalis* = 12, 6 = *Adtibernalis*; *Aemidus* = 24, 4; *Atanulu* = 18, 11; *Aureax* = 8, 12; *Alibre* = 25, 4 = *Alebria*). Quibus nescio an addendae sint glossae hae: *Adasia* 404, 25 = Paul. p. 12, 13; *Astraba* 406, 29 = *Astrama* II 22, 15 (quam glossam

Paulus abiecit); *Aequilatium* 405, 11 = 24, 8 *Aequilavium*; *Ambulacrum* 405, 39 = Pauli p. 21, 8 = Pseudophilox. II 16, 15; *Alvola* 405, 33 = Paul. p. 4, 10; *Amusus tacitus non mutiens* 405, 43 = Paul. p. 6, 9 (*quidam amussim esse dicunt non tacite, quod mutire interdum dicitur loqui* = V520, 14; 560, 44); *Arculus* 406, 14 = Paul. p. 16, 8; *Arietat* 406, 20 = Pseudophil. II 25, 15; *Ausonium* 406, 45 = Paul. p. 18, 1. In aliis litteris vestigia Festi paucissima exstant velut 421, 3 *Purpurissimum* = apud Pseudophiloxenum II 165, 24. — Glossas Vergilianas commemoro hasce: *Abluta* (Aen. IX 818); *Acerra* (Aen. V 745); *Acrius* (Aen. IX 791); *Aciri* (Aen. IX 192); *Adero* (Aen. IV 125; 386); *Adempta* (Aen. IX 131; XII 879); *Adi* (VIII 302); *Adit* (frequenter); *Adsumus* (Aen. V 57); *Adorea* (Aen. VII 109); *Aere cavo* (Aen. III 240. 286); *Alipedes* (VII 277); *Anubis* (Aen. VIII 698); *Araxis* (Aen. VIII 728); *Arethusa* (Aen. III 696 et alibi); *Argenteus* (Aen. VIII 655); *Arietat* (Aen. XI 890); *Asylum* (Aen. VIII 342); *Assaracus* (Aen. VI 650); *Auspicium* (Aen. XI 347). His etsi fortasse hanc vel illam ut incertiore dempseris, pleraeque tamen certae videntur esse. — Denique glossas etiam in aliis glossariis frequentiores affero has: *Abdicat*, *Ab ineunte aetate*, *Abrogans*, *Alluvies*, *Adsecula*, *Antibibulum*, *Apocalypsis*, *Arcites*, *Avium*, *Haut secus*, *Haut procul*. Non desunt singularia, ut *Abartenum*, quod hinc in glossarium *Abavus* maius transiit; *Afrutabulum vasculum* (cf. *rotabulum*), *Amoenatim* (?). Similis est condicio ceterarum litterarum, nisi quod Festina vestigia paulatim minuuntur. Notabilis est glossa *votis in Capitolio rite nuncupatis*, de qua vide quae in Thesauro glossarum emend. annotata sunt. Etiam de ceteris satis habeo ad Thesaurum relegasse. Igitur qui hoc glossariolum composuit, pro fundamento habuit glossarum Vergilianarum collectionem; his addidit ex aliis glossariis haud pauca, denique totum ornavit doctae antiquitatis excerptis ex Festo factis.

Glossae Vergilianae quae nunc secuntur in multis codicibus exstant, de quibus IV praef. p. XXVIII breviter, sed sufficienter disputavi. Singulae glossae ad severiorem litterarum ordinem dispositae nec uno loco lemmatis pro interpretamentis, interpretamentis pro lemmatis acceptis novae glossae procreatae sunt, ut iam in 'abavus' glossario factum esse vidimus. Exempla haec sunt: *Abeuntibus discedentibus* (= Aen. I 196) = *Discedentibus abeuntibus*; *Aequitas rectitas iustitia* = *Rectitas iustitia aequitas*; *Asperrima bellicosissima* (= Aen. I 14) = *Bellicosissima asperrima*; *Barbaros animos ferocia corda* = *Ferocia corda barbaros et indomitos animos* (= Aen. I 302/303); *Burca clavaca* = *Clavaca burca*. Ceterum multo maior glossarum pars ad sex priores libros pertinet; ultimi libri certa exempla paucissima ostendunt. Ad Georgica etsi non

ita multae glossae spectant, de his tamen dubitari vix poterit. Poterit dubitari de Eclogis, quandoquidem quae deprehendi possunt exempla nescio an potius ad cetera carmina sint referenda, quibus eodem iure accommodari possunt. Haud ita paucae glossae alienae videntur ac nescio quomodo Vergilianis glossis insertae, ut *Absconditum absconsum celatum*, *Cachinnus tractus solutusque risus*, *Calx lapis est unde calculum diminutive dicimus*, *Comesatur turpiter convivatur luxuriatur*, *Deambulatorium peribolum*, aliae multae. Inter glossas quas examinavi sunt quae cum Servio Danielis possint componi, veluti hae: *Chimaera Typhonis et Echidnae filia prima leo, postrema draco, media capra, quam Bellerophontes occidit* (Aen. VI 288) = Serv.: *Typhonis et Echidnae filia, ore leo postremis partibus draco, media caprea secundum fabulas fuit* (ubi verba *Typhonis et Echidnae filia* in solo pleniore Servio exstant); *Belli portae templum est quod bello patet et pace clauditur* (Aen. I 294) = Serv. Dan.: *Belli portae Iani gemini quae bello aperiiebantur pace claudebantur*. Aliae cum Servio genuino conspirant, ut hae: *Liquidis in nubibus in liquido aere; nubes enim pro superiore aëre ponitur* (Aen. V 525) = Serv.: *Liquidis in nubibus; nubes pro aere posuit*; *Accingunt praeparant* (Aen. II 235) = Serv. *Accingunt operi praeparant se ad opus*. Longe plurimae tamen glossae ad neutrum accommodari possunt, ut hae: *Concludere sulco. sulcus est aratri ductio quo veteres fundamenta dirigebant* (Aen. I 425); *Ingeminant abruptis nubibus ignes assiduus fulget ictibus aether* (Aen. III 199). Cum glossis Vaticanis raro possunt componi, quamquam ex eadem prosapia oriundae sunt, scilicet ex glossis trivialibus sive marginibus sive inter versus adscriptis. Quaecumque huius generis exstant, commode Thesauro glossarum adhibito indagari poterunt.

§ 39. Nunc demum ad maius glossarium 'abavus' accedo, cuius materies minimum e quinque minoribus glossariis hausta est. Fundamentum principale est glossarium 'abavus' minus, cuius glossae aut integrae receptae sunt aut sicubi cum aliis contaminatae sunt primum locum habere solent. Plena sunt in littera B quam p. 589 sqq. expressi velut haec exempla: *Babigera stulta*, *Baccula bovis femina*, *Balantes belantes oves*, *Balleat cingit*, *Bases sessio columnae*, *Battuit concidit decidit*, *Beatus felix sapiens immortalis proximus*, etc. Postea 'abavus' glossis glossarium 'ab absens' adiectum est, cuius glossae item saepe integrae receptae sunt, ut hae: *Baiae Cumae civitates in Campania balneatae*, *Barba stereli duribuccius*, *Berecynthia mater deorum*, *Bombosum sonorum furibundum* etc. Vbi qui composuit sicubi lemma quod in 'ab absens' erat iam invenit, scilicet ex 'abavus' translatum, eidem lemmati novum interpretamentum submisit; ut hoc exemplum docet: *Bellona dea inferorum* ex 'abavus' receptum erat; iam in 'ab absens' quod exstat

Bellonica (h. e. *Bellona*) *bellicosa*, inde glossae 'abavus' glossarii addidit vel *bellicosa*. Item *Beluae bestiae* 'abavus' habet; *Beluae bestiae maris* 'ab absens', quae forma nunc in maiore glossario est. Tertiae accesserunt glossae Vergilianae, quae aut suam retinuerunt formam, ut in his: *Bacchatam Baccho sacratam*, *Barbaros animos ferocia corda*, *Belli portae templum est quod bello patet et pace clauditur*, aut contaminatae non habent primum locum, ut *Brabeuta qui palmas dat* (abavus) et *Brabeuta brabifer* (gloss. Verg.) = *Brabeuta qui palmas dat vel brabifer* (abavus maior); *Bruma gelum* (abavus) + *Bruma hiems* (gl. Verg.) = *Bruma gelum hiemis* (ab. maior). Quarto loco accesserunt glossae Abrogans quae pro fundamento sunt glossis Keronis quae dicuntur, editis ab Eduardo Sievers in primo volumine glossarum Palaeotheodiscarum p. 2 sqq.¹⁾ Immutatae velut hae desumptae sunt: *Bacchat sacrificat*, *Baccatum margaritatum*, *Bacchi antiqui*, *Bracata Gallia*, *Bumbum sorbellum*, *Bariona filius columbae*, *Byvira secunda coniux*; contaminatae hae: *Boetes stellae sunt circa septentrionem* (ab. min.) = *Butis stella comis quasi comam habens* (Abr.) = *Boetes stellae sunt circa septentrionem quasi comam habens* (ab. mai.); *Bacchatur insanitur vel furit* (ab. min.) = *Bacchatur discurret* (Abr.) = *Bacchatur insanitur vel furit vel discurret* (ab. mai.) = *Bacchatur furit* (gl. Verg.); *Bella gero pugnam facio* (ab. min.) = *Bella gero inimicitias exerceo* (Abr.) = *Bella gero pugnam facio vel inimicitias exerceo* (ab. mai.). Sed etiam quintum glossarium dignosci potest, exstans illud inter glossas 'affatim' de quo mox agendum erit; unde puriora quidem exemplaria, cuius dux est Vossianus 82, pauciores habent glossas, plures cod. Paris. 7640 eiusque propinqui. Ex puriore classe exscribo haec: *Beatitas beatitudo*, *Bellum domesticum intra domos*, *Perillus genus lapidis candidi*. Contaminata sunt velut haec: *Barchei genus Africae* (gl. Verg.) = *Barciae barbari* (aff.) = *Barchei barbari genus Africae* (ab. mai.); *Bona caduca res damnatorum* (ab. abs.) = *Bona caduca quae successionem legitimam non habent* (ab. min.) = *Bona caduca hereditas, quibus non succedit ullus heres* (aff.) = *Bona caduca res damnatorum successionem legitimam non habent vel quibus nemo succedit heres* (ab. mai.). Relinquuntur aliquot glossae, veluti nonnullae maiores (*Balbus*, *Bonus*, *Bucco*, *Bilosus*, *Biothanatus*), quae ex libro decimo Isidori fluxerunt, item aliae, quae tamen minime singulares videntur esse. Propter talia glossas aliqua re notabiliores excerpti (V p. 625 sqq.) praeter BG litteras quas IV p. 589 sqq. exempli causa integras exhibui. — Notabilis est glossarii plenioris inscriptio haec: *Incipiunt glosae ex novo et veteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter compositae*. Qui titulus

1) Cf. R. Koegel Gesch. d. d. Litt. I 2 p. 426.

fictus esse videtur ex inscriptione Parisini lat. 7640 (= Sieversii primae columnae: **INCIPIUNT GLOSAE EX NOVO ET VETERIS TESTAMENTI**) et Isidoro, ex quo glossas haud ita paucas sumptas esse dixi. Revera veteris et novi testamenti paucissimae sunt glossae. Ceterum in codice Monacensi et aliis vel plenior est inscriptio haec: *Incipiunt glose affatae et reliquę decem novo et veteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter compositae*, pro qua codex Montepessulanus habet: *Incipiunt glossae afaiae et reliqua ex e. q. s.; reliquae decem factum est ex reliqua ex*. In eodem codice Monacensi exstant duae praefationes, quas hoc loco subiciendas esse existimo:

INCIPIIT PROLOGVS. *Hic prologus indicat quibus glosis legentibus ut ubique per scripturis sacris sermones plerique occultantur vel mens cuiuscunque rei litterarum excellentiae difficultas delollat intellegentiae. Ibidem repperiat interlucentes sermonibus ut hoc quod capere minime potest. ei manifestum fiat Tamen gloriosa plurimum mentem descripturis per eruditos homines sapientiam oppositos ad apertionem sermones sensuum ministrantur. Si quis investigare nititur cur aut que scribantur glose non inveniat ex alia ratione eas gestas. Nam siquis hoc sciscitare cupit quis primus eas descripserit Multi proponunt agnarus seu eruditos homines sapientia fuisse tractas. sed tamen virgilius aliqua parte exinde constituit. et putant multi hieronimum presbiterum in hoc fuisse tractatum. Ideo glosae dicuntur quia grecum sermonem utuntur et constant hic per abicinario paria duodecim.*

Paene eadem verba exstant in codice Vaticano Reginensi 566 saec. IX/X, nisi quod 3 rei om., 5 glosae est pro gloriosa, 6 sapienti, 8 et alia, 9 pagnaros (pergnaros?), 10 fuisse tas, 10 et inde, 11 multi putant, 13 duo dicem. Item in codice Neoburgensi saeculi IX haec praefatio scripta est; qui liber prope accedit ad Monacensem, nisi quod 5 glosae est, 6 sapientia, 7 vestigare, 13 add. *id per a et b et c numero equaliter duodecim vicibus supra currit*. Ad Neoburgensem cod. prope accedit Parisinus noni saeculi, quem Omont tractavit (Notice du ms. nouv. acq. lat. 763 de la bibliothèque nationale contenant plusieurs anciens glossaires grecs et latins et de quelques autres manuscrits provenant de Saint-Maximin de Trèves par M. H. Omont. Paris 1903) p. 14 sqq. Hunc prologum in cod. Monacensi excipiunt haec:

IT̄ PRĒ FACIO. *Hanc priorem luculente interpretationis glosulam citius caraxans depixeram. diversa namque aliarum exemplaria glosarum intuitu acerrimae mentis perlustrando sagaciter en eventilavi et quaeque in eis magis profutura fuis (lineola deletum ut vid.) pepensi ilico decerpens huius praesenti operis pulchro contextu inserui. sivero cuiuslibet sagax desiderium per (s. scr.) quaesita cuiuscunque verbi indagatione in hoc priore*

opusculos fraudabitur sequentis credo operis auxiliamini citius succurritur. Quod sunt clavis quibus modis aperitur scientia hominis. IIII or prima est industria. legendi sedulitas interrogandi contemptio facultatum mundi. honor doctoris. Quod sunt qui timet homo perfectus. tres utilius dicit. tres res timeo. Prima quando egressa est anima decorpore meo secunda est quando occursurus sum deum. tertia quando proferenda erit sententia ad ver summe. EXPLICIT PROLOGVS.

Sequitur 'abavus' glossarium. Praeter codicem Vaticanum Reg. 566 et codices Parisinum et Neoburgensem hanc alteram praefationem etiam cod. Vaticanus 1471 continet; sed in omnibus his libris verba quae Monacensis post *succurritur* (v. 7) exhibet recte omittuntur; praeterea hanc profero discrepantiam: 3 *sagaciter euentilauit* cod. Reg., Neob., Vat. 1471; 4 *fuisse* omnes; *perpensi* ex *propensi* m. 2 in Vatic. 1471; 5 *inseui*; 7 *opusculo* omnes; *persuccurritur* Vaticanus 1471. Sequitur in Neoburgensi et Vaticano Reg. 566 inscriptio glossarii, in Neoburgensi sic: *Incipiunt glosae affatae et reliqua ex novo et veteri e. q. s.*, sic in Vaticano 566: *In nomine dei summi incipiunt glosae ex novo et vetere testamento e. q. s.* Ex quibus praefationibus discimus auctorem imprimis ad sacram scripturam revocasse glossas, secundo loco ad Vergilium, ut non habeamus cur inscriptionem illam miremur. Porro etiam illud discimus, ex variis glossariis esse 'abavus' glossarium maius compositum. Quis auctor glossarii sit, non indicatur. De Micone, qui codicem Bruxellensem scripsit, non est cur cogitemus. Cf. IV praef. p. XXXVI sq. et Manitius p. 470. 475.

Quanta glossarii 'abavus' maioris auctoritas fuerit, et codicum satis magnus numerus demonstrat et excerpta, exemplaria epitomata, interpolata, aucta quae circumferebantur testantur. Inter aucta exemplaria etiam cod. Parisinus 10443 est, quem nondum commemoravi; item Neoburgensis, quem supra attuli: incipit ab his: *A vox est ante verbum vel apex prima, Aaron mons fortitudinis, Abavus pater proavi, id est avus avi, Abacuc amplexans, Abacta inclinata* e. q. s. De epitomatibus exemplaribus cf. praef. IV p. XXXIX. His adde fragmenta saec. XII Laibachiana, quae Steinmeyer IV p. 473 accurate ut solet describit. Ex eodem glossario 'abavus' glossae 'abactor' desumptae sunt, quarum exemplum proposui IV p. 599 sqq. (e litteris B et G). De libris manuscriptis egi praef. p. XXXIX sq., ubi etiam de compositione disserui. Summa haec est: 'usus est auctor glossarii 1) 'abavus' glossarum plenioris memoriae codice ut videtur tali qualis est Parisinus lat. 7640, ex quo libro excerpsit glossarum maiorem partem; 2) his adiecit glossas aliunde petitas, plerasque inutiles, h. e. aut viles aut notas; 3) glossas alio modo collocavit, contraxit, contaminavit.' Contaminatarum glossa-

rum profero exempla haec: *Barbarus truculentus inquinatus* (cf. *Barbarus truculentus* aff. + *Barbarus inquinatus contaminatus* aff.); *Barcei genus africana vel barbari* (*Barchei genus africe* gl. Verg. + *Barciae barbari* aff.); *Bruma brevitās vel gelus hiems* (*Bruma brevitās* Ampl. 1 + *Bruma gelum* abav. + *Bruma hiems* gl. Verg.). Nonnulla additamenta ex Amplonianis glossariis hausta esse videntur cum primo tum secundo; ex secundo velut haec: *Cluamentia stultitia*. Omnino dicendum erit longe plurimarum glossarum formam quas glossae 'abactor' exhibent ex 'abavus' glossario maiore aut solo aut melius quam ex aliis explicari posse. Quae ex 'abavus' glossario duci nequeunt, earum ratio ex reliquis glossariis plerumque patebit; quae relinquuntur, vilia sunt. His quae modo exposui adde quae de exemplaribus auctis praef. IV p. XXXVIII sq. disputavi: quae multo accuratius persequi possem, si res tanti esset. Nunc satis habeo dixisse interpolationum maiorem partem ex glossis 'affatim' esse petitam, post illas ex glossis hebraicis. Praeterea moneo his glossis cum glossario Salomonis coniunctis effectum esse, ut 'abavus' glossarium maius per totam mediam quae dicitur aetatem auctoritate floreret: quod ita se habere ex eis quae infra exponentur luculentius apparebit.¹⁾

§ 40. De 'affatim' glossario Loewe Prodr. p. 106 sqq. diligenter disputavit, quibus addenda sunt quae in praef. p. XXIX pleniore codicum notione fretus ipse proposui.²⁾ 'Litterarum ordo non communis est. Etenim intra singularum litterarum ambitum vocalium ratio habetur, consonantium non item. Cf. haec quae e codice Leidensi 67 F¹ f. 15^b sqq. excerpti lemmata: *cibarisus cliblanari cinocephalus citisum cisni clinicus cilipsidra comodat ... colera cloace coloni ... coniboli croma consequens ... cupidus cupio ... cruenda cupressus ...*, quae quidem componendi ratio nostro usui admodum molesta est. Non desunt autem alius ordinis certa vestigia. Exstant enim glossarum series ad unam eandemque materiam spectantes vel certe talium quae ob similitudinem aliquam externam una ponendae esse viderentur. Qua de re non dubitabis, ubi harum glossarum ordinem perlustraveris: *Auspiciatus adorsus incipiens vel incipit, Auspicio principio, Augor qui per auspicia divinabat, Augures qui auguria intendunt, Augurium auspiciū, Augur qui aves*

1) Huius glossarii nescio qua recensione usum esse qui glossas Augienses (cf. Stalzer, Sitzungsber. d. Kais. Ak. d. W. in Wien B. CLII a. 1906) congeggit, bene demonstravit Heraeus (Zu den lexikalischen Quellen der Reichenauer Glossen, Festschrift zum 15. Neuphilologentag, Frankfurt a. M. 1912); qua de re infra disputabitur.

2) De exemplari 'Affatim' glossarum quo usus est qui glossas theodiscas adiecit cf. Steinmeyer IV p. 1 sqq.

colit, Auceps avium captor, Aucupator captator vel venator avium, auspicia signa vel initia, Auguria somnia, Auruspices qui intendunt signa corporis, Auruspex arcis inspector. Haec omnia ad aves aut spectant (*auspicatus — auguria*) aut spectare videntur (*auruspices, auruspex*). Aliorum eiusmodi ordinum lemmata tantum exscribam: *crateras cratera cada cantarus; clam [bis exstat] clandestinum clangulae; compactum conpegisti conpagibus conpago copulatus copula conpaginavit conpagines conecititur conecit; coniectura conector coniectio coniecturae coniectorem coniectus; contribulibus contribuli cognati consobrini conterminalis.* Praeterea illud quoque aliquo modo ad ordinem spectat, quod exquisitarum glossarum series a trivialium glossarum contextu non raro seiungi possunt. Velut cf. *Adlegurrit degustat, Adnectans domans, Asperediscus uncinus, Acsculum genus arboris, Annet fulget, Acet curvat, Abreptabat ire incipiebat, Asseda sella quadriiugis.* Contaminatum esse hoc glossarium e duobus fontibus principalibus inde apparet, quod easdem glossas frequentissime bis insertas habes. Huc etiam illud rettulerim, quod eorundem lemmatum bina interpretamenta aliquotiens exstant; velut in Bernensi 224: *Lacunaria auratis camarae, it Lacunaria pendentia luminaria, Laquearia catena aurea aut corona, it̃ Laquearia ornamenta tectorum.* Eodem fortasse spectat adnotatio, quam ex hoc glossario supra p. 10 eruimus: *hic habet minus inter h et i folia quattuor, quae excisa fuerunt de exemplari,* si haec verba de duobus exemplaribus intelligenda sunt, quorum in altero quattuor folia interciderint. Sed non nimis plana, fateor, eorum sententia est. Inesse glossas quae derivatae sunt e glossario sine ullo ordine congesto docet vel una illa *catax claudus a coxa consentaneus*, ubi glossae *catax claudus a coxa* adhaesit eius quae sequebatur lemma *consentaneus* [intercidit interpret.]. 'Affatim' glossae num integrae in 'librum glossarum' receptae sint, dubito: possunt sane post saec. VII/VIII collectae esse e duobus glossariis, quorum alterum in 'librum glossarum' quoque insertum sit, alterum non item' (Loewe Prodr. p. 107 sqq.). In universum Loewium recte iudicavisse nova inquisitio confirmavit. Atque alterum glossarium quod quidem paene totum in 'affatim' translatum est, glossarium 'abstrusa' esse iam p. 125 indicavi, etsi sine argumentis; nunc accuratius demonstrabo. Proficiscor a littera B, quae non semel plures glossas continuas a glossis 'abstrusa' desumpsit, ut *Beatitas beatitudo felicitas, Beat beatificat, Beabis beatum facis, Beneficus bene agens; item Bellum domesticum intra domum, Bellum civile cives contra cives vel intestinum, Bellum Italicum bellum Romanum, Bellum Punicum Africum; Bibliotheca librorum repositio, Blitea stulta, Bibliothecarius qui codices resecat, Bibliopola qui codices vendit; Bipedale id est duorum pedum, Biclinium quasi bicellium duae cellulae, Bivium iter duplex, Bimator duplica-*

tor; Bimaritus iterum maritus, Bivira secunda coniux, Birsum corium bubulum, Bipatentibus ianuis apertis. Quamquam non omnes glossae B litterae in 'affatim' glossarium migraverunt, sed tantum longe plurimae, tamen de fonte ipso nulla dubitatio relinquitur. Idem valet de H littera, ubi continua glossemata haec sunt: *Herus dominus, Herebi inferni, Heremum desertum inaccessum, Hertel stupet, Herma castratio, Hermaproditus castratus; Hiberno sidere hiemis tempore, Hicterici hidropici, Hydroplasmus quas cantio componit organi, Hidromantes qui ex aqua divinant; Himeus nuptias aut carmen nuptiarum = Himeos nuptias + Himen nuptiae vel carmen nuptiale.* In littera K haec est series: *Kana fides antiqua fides, Kapessas incipias, Kumenae musae, Kaliopé una ex novem musis, Karmina dicla, Kasses retia, Kassiculum reticulum, Kalibem ferrum, Kadere cedendo proferre, Karistia dies festus inter cognatos, Kai cancelli, Kalones galliae militum, Kadentia conlapsa, Kaltulum in quo mortui effervuntur.* Quae qui reputaverit, rem certam esse concedet. De hac igitur parte valere moneo quae supra de 'abstrusa' glossario exposuimus. De altero glossario difficile est iudicatu: constat *laquearia ornamenta tectorum* et *lacunaria pendentia luminaria* ex 'abstrusa' glossario provenisse, cum *laquearia catena aurea aut corona*, siquidem in *corona* latet *camera*, facile ex IV 104, 21 + 104, 29 derivari possit, item *auratis camarae = aurata camera* ex V 305, 52 (Ampl. II). Cum eisdem glossariis 'affatim' etiam alias glossas communes habet, ut IV 4, 7 *Abice expelle*, 9 *Abusi male usi*, 12 *Abiurae furatae*, 13 *Ab oris a finibus*, 15 *Abietem genus ligni*, 18 *Abditum absconditum*, 19 *Abstrusum remotum vel latens*, alias; cum Amploniano II (saepius etiam cum I) has: IV 490, 10 *Caticuminus instructus*; 25 *Cataplasma medicamentum*; 28 *Causas irarum origo indignationum*; 34 *Cachinnant inridunt*; 37 *Calamizare laeta cantare*; 491, 5 *Cada vas vinaria*, alias. Vnde constat ex neutro glossario solo duci posse alteram 'affatim' glossarum partem: aut igitur aliud olim glossarium exstitisse putabimus, ex quo omnia derivari possunt, aut ex duobus vel adeo pluribus materies collecta est. Nec neglegendum erit inesse etiam glossas quas ex solo hoc glossario novimus.

CAPVT XIV. DE GLOSSIS A A ALIISQVE EXCERPTIS

§ 41. Integra adhuc glossaria excudenda curavi: quae quidem glossaria cum et materie et fatis per totam quae dicitur mediam aetatem e ceterorum eiusdem generis turba eminere viderentur, quasi medullam studiorum glossographicorum continere visa sunt, ad quam aliorum opusculorum copias commode annecterem. Fieri enim ullo modo